HIERONYMI TARTAROTTI ROBORETANI DE ORIGINE ECCLESIÆ TRIDENTINÆ, &…

Girolamo Tartarotti

Digitized by Google

9. 5. 342.

9 I. 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI TARTAROTTI ROBORETANI

De origine Eccleſiæ Tridentinæ, & primis ejus Epiſcopis.

DISSERTATIO.

VENETIIS,

MDCCXLIII.

APUD DOMINICUM TABACCO

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

CELSISSIMO, ET REVERENDISSIMO VIRO

TRIDENTINORUM EPISCOPO, AC PRINCIPI DOMINICO ANTONIO E COMITIBUS A THUN.

HIERONYMUS TARTAROTTUS
FELICITATEM.

TRidentinæ Eccleſiæ origines evulgaturo, nullum mihi tuo Nomine aut illuſtrius, aut optabilius occurrere ſane poterat, CEL-

Digitized by Google

SISSIME PRINCEPS, *quo frontem opellæ hujus meæ, aſpectum hominum ſubituræ, exornarem. In hoc enim ipſe mihi ſatisfieri quodammodo ſentio, qui quum jampridem optaſſem publico aliquo officii genere teſtatum omnibus quanta animi reverentia te colam, & obſervem, opportunitatem tandem ſum nactus ſingularis illius ſtudii, voluntatiſque aperiendæ in te meæ. Neque vero hos in me veteris obſervantiæ atque obſequii motus excitavit jam nobiliſſimum Genus tuum, Majorumque tuorum gloria, nullo unquam tempore interitura; quorum quidem res pace, belloque geſtæ, & præclara cum in Eccleſiam, tum in Rempublicam merita, non eſt hujus loci commemorare, & ſi maxime eſſet, minime id pateretur modeſtia tua. Hæc tibi cum multis communia, proindeque vix tua dicenda, licet te maxime illuſtrent, ac ſplendoris eminentia quadam ſupra ceteros collocent, non ea tamen ſunt, quibus magnopere commoverer.*

Quod

Quod me præcipue in tui admiratio-nem impulit rapuitque, inſignes fuere, ac permultæ præſtantiſſimi tui animi do-tes, Juſtitia præſertim, qua mirifice ſub-ditorum concordiam, tranquillitatemque foves; & Religio, qua tum verbis, tum exemplo rem Chriſtianam jugiter ita pro-moves, ut qui præcipienti obtemperare detrectat, præeunti obſiſtere ac repugna-re vix poſſit: quarum altera te Princi-pem tuis cariſſimum facit, altera vero Epiſcopum & gregi, cui præes, & uni-verſo Chriſtiano orbi ſane verendum. Hæc, quæ cuncti admirantur, ac præ-dicant, quum mihi ob oculos perpetuo eſſent, & contemplarer attentius, ut vehementiſſimo quodam amoris impetu me ſemper in te pertrahebant, ita facile eo perduxerunt, ut Eccleſiæ illius monu-menta, cujus tu Caput es, præcipuumque ornamentum, editurus in lucem, ea non alio quam tuo ampliſſimo Nomine condecora-rem. Ad hoc etiam accedit, quod quum in receptas vulgo opiniones inſurgere ani-

Digitized by Google

mus fuerit, eaſque ad trutinam revocare, metuendum ſane fuit, ne violatæ antiquitatis reus agerer, ac tanquam domeſticarum traditionum oſor acerrimus palam exploderer, traducererque. Sunt enim homines, qui ſuos errores adeo perdite amant, ut non modo pro iis, tanquam pro aris & focis, digladiari paratiſſimi ſint, verum etiam eos omnes oderint, atque averſentur, qui medicam adhibere manum tentaverint. Hinc ad arma conclamatur, turbæ excitantur, omnemque lapidem movent, quo invidia in illum confletur, qui fulgentiſſimo veritatis lumine mentis eorum caliginem depellere nitebatur. Scilicet, ut recte Horatius ait:

Qui ſervat invitum, idem facit occidenti.

Ab hoc hominum genere ego, qui voce, ac lateribus minime valeo, obruar quidem penitus atque conculcer, niſi quis auctoritate, potentiaque conſpicuus pro me in acie ſtet, obtrectatores hujuſmodi in officio contineat, tandemque cogat veritati aures patienter præbere. Colu-

mus

Digitized by Google

mus enim & nos vetuſtatem, & religioſe columus, ſed vetuſtatem, quæ pura ſit, atque ab inſcitiæ maculis defæcata; neque ſplendido eo titulo donandum putamus quidquid quo jure, quave injuria litteris olim conſignatum fuit: Rem ad fontes revocare, veterum teſtimonia diligentius excutere, atque conferre, recentiorum fabulatorum commenta detegere, omnia denique ratione metiri, id demum eſt vetuſtatem colere, ejuſque jacentem gloriam ac pene extinctam ſublevare; adeo ut qui rem mature perpendet, profecto facile animadvertat, pleroſque omnes qui ſe pro antiquitate ſtare tantopere gloriantur ac jactant, antiquitatem potius oppugnare, atque ſubvertere. Quare hoc etiam nomine tibi potiſſimum, CELSISSIME PRINCEPS, *opella noſtra hæc debebatur, qui veritatem primum amplecti, deinde propugnare & poſſis, & velis, profanique vulgi clamores ſumma animi conſtantia*

tia

tia compeſcere. Te igitur ſummiſſe adit Diſſertatio noſtra, vel tanquam Judicem, qui pro ea qua eſt ſapientia, ejus cauſſam optime dijudicare valet, vel tanquam Patronum, qui auctoritate qua pollet maxima, eam adverſus reluctantes ſtrenue vindicare ac tueri poteſt. Primum hoc eſt in eo genere ſtudiorum noſtri laboris ſpecimen. Quod ſi tibi pro tua ſingulari humanitate, atque erga bonas litteras amore, gratum fuiſſe intellexero, ad plura, & majora ſtimulos certe addes; neque prius a meditando, ſcribendoque deſiſtam, quam reliquam Tridentinorum Præſulum ſeriem eadem ratione fuerim perſequutus. Percurre igitur hilari fronte, CELSISSIME PRINCEPS, *Eccleſiæ tuæ exordia, ab inſipientium ſæculorum nebulis commentatio hoc noſtro purgata; ac ſi tibi, quod magnopere exopto, probetur ſententia noſtra, judiciique tui, quod plurimum apud me ſemper valuit, teſtimonio firmetur, favore quoque ac*

pa-

patrocinio tuo liceat adverſus pervicacium hominum impetus eandem muniri ac roborari. Vale, & me inter cultores tui Nominis ſtudioſiſſimos libenter excipe.

Venetiis VIII. Idus Apriles
MDCCXLIII.

NOI

Digitized by Google

Num. 11.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbazione del P. Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitor di Venezia nel Libro intitolato: *De Origine Eccleſiæ Tridentinæ, & primis ejus Epiſcopis Diſſertatio*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contrò Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a Domenico Tabacco Stampator di Venezia, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. li 26. Marzo 1743.

(Z: Alviſe Mocenigo 2. Riformat.
(Zuane Querini Proc. Riformat.
(

Regiſtrato in Libro a Carte 2.

Agoſtino Bianchi Segr.

CON.

CONSPECTUS
DISSERTATIONIS.

EXordium. I. Pincii ingenium, & eruditio. II. Ejus opinio de origine Eccleſiæ Tridentinæ. Item Ughelli, & Gentilotti. III. Tridentina Eccleſia ortum habuit poſt quarti ſæculi dimidium. IV. Qui putant ab Hermagora D. Marci diſcipulo, primoque Aquilejenſium Epiſcopo fundatam, id minime probant. V. A quo invecta ſit illa opinio. VI. Probatur ſecundo Auctoris ſententia ex incerta D. Marci ad Aquilejenſes prædicatione, quæ prorſus commentitia eſſe oſtenditur adverſus Bernardum de Rubeis. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. Incerta pariter ætas Hermagoræ, & Epiſcopatus. XIX. XX. XXI. Probatur tertio Auctoris ſententia ex difficultate primis illis temporibus Eccleſias conſtituendi. XXII. Solvitur difficultas ex Eccleſiaſtica Galliæ hiſtoria, & SS. Patrum auctoritate petita. XXIII. Probatur quarto Auctoris opinio ex collatione Tridentinæ Eccleſiæ cum finitimis. XXIV. Sabionenſis Eccleſia ſæculo quarto inclinante, nondum conſtituta erat. XXV. Contrariæ ſententiæ præcipua fundamenta infirmantur. XXVI. Probatur quinto Auctoris aſſertio ex conditione Tridentinæ Diœceſeos S. Vigilii temporibus. XXVII. Poſtremo eadem probatur auctoritate Actorum S. Vigilii. XXVIII. Futilis Pincii diſtinctio exſufflatur. XXIX. XXX. XXXI. Enodatur difficultas ex Chorepiſcopis, & Miſſionariis petita. XXXII.

Item

Digitized by Google

Item ex hiſtoria Eccleſiaſtica Scotiæ. XXXIII. *Veroſimile eſt Jovinum primum fuiſſe Tridentinorum Epiſcopum. Secundus fuit Abundantius, tertius S. Vigilius*. XXXIV. *Qui poſt Jovinum in vulgaribus Catalogis uſque ad Vigilium numerantur Epiſcopi, non ſunt commentitii, ſed tranſpoſiti*. XXXV. *S. Vigilii ſcripta. Ejuſdem* Epiſtola ad Simplicianum *Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo ſcripta eſt, contra atque ſenſerunt Natalis Alexander, & Philippus Labbæus*. XXXVI. XL. *Quo anno paſſi ſint, & quam ob cauſſam tres Martyres Anaunienſes, contra eundem Alexandrum*. XXXVII. *De S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo*. XXXVIII. *Quinque librorum* contra Neſtorium, & Eutychem *auctor eſt Vigilius Tapſenſis*. XXXIX. Celſi Epiſtola ad Vigilium Epiſcopum, *Vigilio Tridentino ſcripta eſſe poteſt, contra Caveum, & Maurinum editorem operum S. Cypriani*. XLI. XLII. *Non abhorret a diſciplina primorum Eccleſiæ ſæculorum, juvenes ad Epiſcopatum evehi*. XLIII. *Quando paſſus ſit S. Vigilius, quove ætatis, & Epiſcopatus anno. Nourii calculi ad Ambroſii Epiſt*. XIX. *Claſſ*. I. *incerti*. XLIV. *Actorum locus expenſus*. XLV. *Tridentina Eccleſia a Theodoſio Imp. minime ditata, adverſus Papebrochium*. XLVI. *Eandem quarto ſæculo Mediolanenſi Metropolitæ paruiſſe probabilius eſt, contra Bernardum de Rubeis. Circa dimidium quinti ſæculi Aquilejenſi ſubjiciebatur*. XLVII. XLVIII. XLIX. *Peroratio*. L.

De

Digitized by Google

De origine Eccleſiæ Tridentinæ, & primis ejus Epiſcopis.

DISSERTATIO.

REm difficilem, ut mihi quidem videtur, atque arduam aggredimur, vetera tractantes nullis veteribus monumentis adjuti, nulla antiquorum ſcriptorum auctoritate ſuffulti. Fuere quidem poſtremis temporibus qui hæc eadem fidenter, veluti oculati teſtes, litteris conſignarunt. Verum ſi in eorum ſcripta diligentius introſpexeris, invenies, illos non ſecus ac nos, omni prorſus lumine deſtitutos, ſilentium potius evitare voluiſſe, etiam quum loqui eſſet quammaxime periculoſum. Quot fabulæ, quot monſtra ex hac quidlibet effundendi facilitate emanarint, ii probe norunt, quibus compertum eſt, quantum ex hujuſmodi ſcriptis cum Eccleſiaſtica, tum profana Hiſtoria ceperit detrimenti. Quemadmodum enim qui fame vexantur, quæcumque apponas devorare ſolent, ita poſt barbarorum tempora jejuna ingenia a

 revi.

reviviſcentibus litteris, avidiſſime arripuerunt quidquid ſibi propoſitum eſſet ab iis, qui veterem eruditionem colere viderentur, & ad novam quaſi vitam vocare.

II. Janus Pyrrhus Pincius, Mantuanus, Tridentinorum Præſulum res geſtas poſt initium XVI. ſæculi primus omnium conſcripſit, quas libris admodum duodecim complexus eſt, quibus duos alios adjecit, unum de Tridentinorum Ducum geſtis, alterum de Tridentinæ urbis origine. Is ab Aliprando Cleſio Bernardi Cleſii Tridentini Epiſcopi fratris filio in clientelam receptus, hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt, quam, Bernardo vita functo, ſub ejuſdem, & Chriſtophori Madrutii Tridentini itidem Epiſcopi ac Cardinalis auſpiciis in lucem emiſit anno MDXLVI. Satis diligens pro ea ætate ſcriptor, ſi cum iis præſertim conferatur, qui id munus per ea tempora ſuſcepere: at ſi illius opera ad hiſtoriæ regulas exigantur, ægre admodum Hiſtoriographi nomen ac famam tueri poſſit. Indulget enim ſæpiſſime ingenio ſuo. Non raro etiam alcucinatus eſt, ac piaculum duxit, ſi quicquam popularium opinionum ab ſe prætermiſſum fuiſſet. Præterea facta, quæ ad laudem & commendationem eorum, ad quos pertinebant, parum conducere viderentur, ſilentio præteriit, ignarus ſcilicet, *Primam eſſe hiſtoriæ legem* (ut in primo Officiorum libro Cicero monet) *ne quid falſi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat.* In quo mihi nunc illud in mentem venit lepidum

pidum ſane ac ridiculum, quod habetur Lib. II. de Conrado II. Tridentino Epiſcopo, qui poſtquam Eccleſiam aliquot annos gubernaſſet, tandem humanarum rerum pertæſus (erat enim ſimul Princeps) D. Georgii Monaſterium a ſe conſtructum ingredi cogitans, & quod reliquum vitæ erat, inter Monachos agere, *Collegium Patrum Tridentinorum* (ſi Pincium audiamus) *adhortatus eſt, ut alium ſufficerent Epiſcopum*. Cum certo certius ſit, Conradum petitæ miſſionis adeo pœnituiſſe, ut Innocentius III. Summus Pontifex coactus fuerit decernere, ut is nulla interpoſita mora decederet, pro ut ſollicite poſtulaverat: *Capitulum vero Tridentinum intra dies octo poſt admonitionem, perſonam idoneam ſibi eligeret canonice in Paſtorem*; ut videre eſt Lib. III. Epiſt. LXXII. ejuſdem Pontificis. Sed ignoſcatur ſcriptori id non ex propria ſententia ſed ex quorundam dumtaxat opinione ſe narrare dicenti. Ceterum laudem etiam latine ſcribendi affectavit Pincius, ita tamen, ut in ejus ſcriptis deſiderium magis, quam Romanæ linguæ puritas niteſcere videatur. Quo in genere ſunt, quæ ſine riſu excipi nequeant; veluti cum Martyres ipſos *per Deos immortales* obſecrantes inducit, ut Pagani Dæmonum ſimulacra everterent, quo neſcio an dici quicquam, aut audiri poſſit abſurdius. At etiam voces omnes, ac præſertim propria virorum nomina, quæ minus Latina eſſent, ita exhorruit, ut quodam loco vel ob id plane a ſcri-

benda hiſtoria ſe deterritum fuiſſe confirmet. Filios habuit duos, quorum alterum L. Romulum, alterum A. Cornelium nominari voluit. Ipſe vero cum a parentibus, ut ego quidem conjicio, Joannes Petrus appellatus fuiſſet, Janus Pyrrhus vocari maluit. Poetæ Laureati titulum ſibi etiam tribuit in Præfatione quadam in librum Grammaticarum Inſtitutionum Auguſtini Saturnii Brixienſis, pro more ſcilicet ejus ætatis, qua decus hujuſmodi parvo emebatur, ac Poetarum laureæ alga viliores eſſe videbantur.

III. Is igitur Tridentinæ Eccleſiæ incunabula ab Hermagora D. Marci Evangeliſtæ diſcipulo, ejuſque in Aquilejenſi Eccleſia ſucceſſore, deſumit. Eo namque Evangelium annunciante, ad Chriſti fidem converſos Tridentinos, ac Jovinum primum illius Eccleſiæ Paſtorem ab eo deſignatum tradit circa annum Æræ Chriſtianæ LXXIII. (non vero, ut male habet Ughellus, circa annum XL. eo enim anno Aquilejenſis Eccleſia nondum a D. Marco fuerat conſtituta) Quamquam id minime conſonet cum Aquilejenſium rerum Scriptoribus, qui Hermagoram anno Chriſti LXX. jam objiſſe autumant, ut videre eſt apud eundem Ughellum Tom. V. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Aquilejenſibus, atque adeo ipſius Hermagoræ Actis, ex quibus circa annum Chriſti LXVI. ſimul cum Fortunato martyrio coronatum fuiſſe arguunt Bollandiſtæ Tom. III. menſis Julii. Poſt Jovinum, qui omnium primus

Tri-

Tridentinis præfuit, hi ordine ſequuntur ejuſdem Eccleſiæ Præſules:

II. Abundantius
III. Claudius
IV. Magnoſius
V. Aſpidus
VI. Lambuccius
VII. Valentinus
VIII Genialis
IX. Felix
X. Valerius
XI. Guarinus
XII. Magroninus
XIII. Theodorus
XIV. Probus
XV. Montanus
XVI. Cyriacus
XVII. Aſterius.

Quorum (ut Pincius ipſe fatetur) *nulla omnino præterquam ſolius nominis extat memoria, & nuda tantum vocabula*. Aſterio tandem ſucceſſiſſe ajunt S. VIGILIUM, de quo plura inferius dicenda ſunt. Vir doctiſſimus Joannes Benedictus Gentilottus, Tridentinus, qui neſcio quo malo noſtro fato, aliquot abhinc annis, immatura morte peremtus, multum nobis ſui deſiderium reliquit; cum animadvertiſſet Aquilejenſi Synodo contra Palladium & Secundianum, Arianos Epiſcopos, anno CCCLXXXI. congregatæ interfuiſſe *Abundantium* Tridentinum Epiſcopum: neque ratio temporis pateretur, ut is pro eo Abundantio habeatur a

qui Jovino, primo Æræ Chriſtianæ ſæculo, ſucceſſit; eum medium inter Aſterium, & Vigilium collocavit in ſuis ad Ughelli Epiſcopos Tridentinos Animadverſionibus, atque uno Epiſcopo Tridentinam auxit Eccleſiam.

IV. Verum age ſingula expendamus ab aliis hucuſque tradita, quidque nobis videatur, immo quid veritati unice ſtudentibus videri opporteat, libere, & ſine partium ſtudio prodamus. Ac initio quidem, ut ordine noſtra procedat oratio, Scholarum more, ſententiam meam ſtatim declarabo, quam rationibus atque argumentis propugnare conabor, iis omnibus rejectis, quæ nebulas offundere, ſcrupulumque aliquem injicere poſſent. Ajo igitur Tridentinæ Eccleſiæ primordia non ab Apoſtolicis temporibus repetenda, ſed ad annos paullo poſt dimidium quarti Æræ Criſtianæ ſæculi referenda eſſe; ideoque S. Vigilium, non decimum octavum ejus Eccleſiæ Antiſtitem eſſe, ut eum faciunt vulgares elenchi, aut decimum nonum, ut dici deberet eo recepto, quem Gentilottus adjecit, ſed inter primos eſſe ponendum.

V. Ac primo quidem, qui S. Hermagoram Aquilejenſem Epiſcopum Tridentinam Eccleſiam fundaſſe, eidemque Jovinum præfeciſſe tradunt, ii nulla auctoritate, nulloque veteri teſtimonio nituntur. Extat quidem Tridenti in Choro Cathedralis Eccleſiæ tum B. Hermagoræ, tum S. Fortunati hujuſmodi monumentum: *B. Hermagoras, poſt B. Marcum Aquilejenſis Pa*

Digitized by Google

ſit Patriarcha effectus, optimis operibus, & miraculis clarus martyrio coronatur. S. Fortunatus B. Hermagoræ diſcipulus, & ab eodem ſibi ſucceſſor deſtinatus martyrii corona decoratur. Verum Inſcriptiones haſce duas recentiores eſſe, quam ut fidem ullam facere poſſint, ſi *Patriarchæ* vox primis quatuor ferme Eccleſiæ ſæculis inaudita, quæ in iis legitur, ſatis ſuperque non oſtenderet, ſola litterarum forma conſpecta, id quam maxime perſpicuum eſſet, ex qua Joanne Hinderbachio Tridentino Epiſcopo, qui poſt dimidium XV. ſæculi floruit, antiquiores fortaſſe non eſſe, ſuſpicari licet; videnturque ex pſeudographis S. Hermagoræ Actis, de quibus poſtmodum longior erit ſermo, deſumtæ fuiſſe. Sed demus eas eſſe antiquiſſimas: quis inde inferre audeat ab Hermagora, vel Fortunato Tridentinam Eccleſiam conſtitutam fuiſſe? Nonne multo eſt probabilius Hermagoræ primi, ut creditur, Aquilejenſium Epiſcopi memoriam a Tridentinis propterea coli, quod Tridentinus Epiſcopus Aquilejenſi ſit ſuffraganeus? Cum igitur qui S. Hermagoræ geſta litteris conſignarunt, eum *Seniores*, (alii *Sacerdotes* legunt) & *Levitas* ordinaſſe tradant. *Poſt hæc ad civitatem Tergeſtinam Presbyterum, & Diaconum* direxiſſe, & *PER ALIAS CIVITATES SIMILITER* feciſſe; immo ſint qui aſſerant, Laureacenſem Eccleſiam primordia ſua debere Aquilejenſibus Præſulibus, Marco ſcilicet, vel potius Hermagoræ, itemque Japides, & Pannonios ab eodem, ejuſque diſcipulis fidem Chri-

ſtianam accepiſſe; primi illi, qui Tridentinæ Eccleſiæ exordia inveſtigarunt, ne ea ſerius fidem accepiſſe videretur quam reliquæ, ex hoc ampliſſimo fonte ſuum rivulum derivarunt, veriſque rationibus deficientibus, ad commenta, Poetarum more, confugerunt, id quaſi verum afferentes, quod ſibi veriſimile viſum eſſet, aliiſque itidem videri poſſet.

VI. Neque tamen eſt, quod vulgaris elenchi, quo Tridentinorum Epiſcoporum ſeries comprehenditur, Pincius a nobis primus auctor exiſtimetur. Pro certo enim habemus, ipſum ea nomina ex Tridentinorum monumentis, quamquam non admodum antiquis, mutuatum eſſe. Bartholomæus Tridentinus ex Dominicana familia XIII. ſæculi ſcriptor, qui inter annos Æræ Vulgaris MCCXLIV. & MCCLI. opus lucubravit, cui titulum fecit: *Epilogi in geſta Sanctorum*, nondum typis editum, Romæque aſſervatum in Bibliotheca Barberina Cod. 2061. in 4. in Vita S. Vigilii Tridentini diſerte aſſerit, Jovinum primum fuiſſe illius civitatis Pontificem, *poſt quem alii XVI. eandem Eccleſiam gubernarunt*, quorum ultimus fuit Aſterius, quo mortuo, Vigilium electum fuiſſe tradit; quod deinde repetit in Vita S. Maxentiæ matris ipſius Vigilii, a Bollandianis edita Tom. III. menſis Aprilis pag. 773. ſed auctoris nomine ignorato, Jo. Benedictus Gentilottus ad Ughelli Tom. V. pag. 605. mentionem facit Catalogi cujuſdam MS. Tridentinorum Epiſcoporum, qui apud ſe extabat. Inſuper in Bibliotheca Tridentina

eſt li-

eſt liber liturgicus, ſeu miſſalis membranaceus, in quo Tridentinorum Præſulum Elenchus continetur. Is liber una cum Elencho, Udalrico II. vivente (qui primus inter Tridentinos Epiſcopos Principis dignitatem eſt aſſecutus) conſcriptus fuit ſæculo XI. ineunte. Ex quo ſuſpicari licet, eum Catalogum non ab alio quam ab ipſo Udalrico, aut a quodam Udalrici ſtudioſo confectum fuiſſe, qui ejus Eccleſiæ rebus florentibus hoc quoque ornamentum addere voluerit; ut ſcilicet quæ nuper Tridentino Comitatu, valleque cognomento Venuſta a Conrado II. Imperatore ditata fuerat, ea felici quadam Epiſcoporum ſerie, a temporibus uſque Apoſtolicis repetita, non careret: ætate præſertim fabularum feraciſſima, in qua Eccleſiarum monumenta vel deperdita, vel mutilata, refingere, ac ſupplere pro voluntate, licitum penitus videretur. Ex his porro lacunis procul dubio hauſit Pincius, quarum magnam partem confictam eſſe, & ſine ullo prorſus fundamento conſarcinatam, vel illud argumento eſt, quod in iis nulla fiat mentio quorundam Epiſcoporum, qui certis monumentis confirmari poſſunt. Velut *Abundantii*, qui ut diximus, Aquilejenſi Synodo interfuit anno CCCLXXXI. apud Labbæum Tom. II. pag. 978. *Volderici*, ſeu *Ovalderici*, qui anno DCCCXIV. ſeu potius proxime antecedenti, interfuit cum Maxentio Patriarcha Aquilejenſi conſecrationi Eccleſiæ S. Georgii Veronæ, apud Ughellum Tom. V. Italiæ Sacræ pag. 709. & *Arimundi*, qui in Monaſte-

rio

rio S. Mariæ de Organo cum Rodoaldo Aquilejenſi Patriarcha ſedit Judex cujuſdam controverſiæ, apud V. CL. Ludovicum Antonium Muratorium in Antiquit. Ateſtin. Tom. I. pag. 152. Quæ omnia vulgarium Tridentinorum elenchorum auctoritatem infirmant, atque oſtendunt ex ſacris Diptychis minime deſumtos eſſe, hoc eſt ex iis monumentis, quæ circa Epiſcoporum ſeriem, atque ætates certam fidem facere poſſunt. Accedit, in iiſdem nomina primorum præſertim Epiſcoporum, tam varie, tam inconſtanter efferri, ut nihil certi decerni poſſit. Claudius enim ab aliis *Claudianus* vocatur. Lambuccius aliis eſt *Sambatius*. Felix ab aliquibus *Fidelis*: Guarinus vero ab aliis *Guarianus*, ab aliis *Quartus* nominantur. Magroninus aliis eſt *Majoranus*. Agippus Bucelino eſt *Regippus*, aliis *Eugypius*. Quid plura? Magnoſius ordine quartus, ab aliis *Mogorianus*, ab aliis *Magorius*, ab aliis denique *Major* appellatur. Quis vero in tanta nominum diverſitate fraudem aliquam ſubeſſe non ſuſpicetur? *Hæc eſt enim mendaciorum natura*, (ut Lib. V. Cap. III. Divin. Inſtit. recte Lactantius ait) *ut cohærere non poſſint*.

VII. Ajo deinde, quod eſt alterum ſententiæ noſtræ fundamentum, D. Marci ad Aquilejenſes adventum, eorumque Eccleſiam ab eodem primum conſtitutam, inter incerta omnino, ne dicam commentitia, referendum eſſe. Quæſtionem hanc noviſſime ſibi diſcutiendam propoſuit Vir doctiſſimus, mihique ſumma familiaritate conjunctus, Jo. Franciſcus Bernardus Maria de

Rubeis

Rubeis in Monumentis Aquilejenſibus Commentario Hiſtorico-cronologico-critico a ſe illuſtratis; qui licet omnem ingenii vim exerat, ut tam illuſtre patriæ ſuæ decus a Criticis plerîſque oppugnatum in tuto ponat, tamen eo quo eſt erga veritatem amore, judiciique acumine præditus, pro certo atque indubitato nobis illud venditare minime audet: ſed propoſitis, atque expenſis Aquilejenſium documentis, concludit dumtaxat Cap. I. §. IV. *adverſa argumenta tanti non valere, ut Aquilejenſem Marci Apoſtolatum ſuffodiant*. Verum age cum eruditiſſimo, atque amiciſſimo viro amicam diſputationem inſtituamus, experiamurque & nos pro modulo noſtro, num Aquilejenſium monumenta, ac rationes tanti revera ponderis ſint, ut merito ea Eccleſia de tam vetuſta origine atque inſtitutione gloriari poſſit.

VIII. Marci ad Aquilejenſes a D. Petro facta miſſio, quam *traditione magis, quam antiquorum certo teſtimonio* niti, etiam magnus Baronius fatetur ad an. XLV. §. XLI. teſtem revera (conſentiente nuper laudato CL. Viro) Paullo Diacono antiquiorem nullum habet, in libro de geſtis Epiſcoporum Metenſium, edito a Marquardo Frehero inter Gallicarum rerum Scriptores; recuſo deinde Tom. XIII. pag. 329. Bibliothecæ Patrum poſtremæ editionis. Porro quam ſubleſta ſit fides iſtius auctoris in rebus antiquis, quamque ſine ullo prorſus criterio traditiones quaſcumque receperit, præſertim eas, quæ ad Eccleſiaſticam Aquilejenſium hi-

ſtoriam

ſtoriam ſpectant, eruditi omnes optime norunt. Certe de hac ipſa Epiſcoporum Metenſium hiſtoria V. CL. Elias Dupinus judicium ferens Tom. VI. Bibliothecæ Auctorum Eccleſiaſticorum pag. 114. ait, prima illius tempora, quæ cum Apoſtolorum ætate autor connectit, fabuloſa omnino eſſe: *Les premiers temps de cette Hiſtoire qu' il fait remonter juſqu' aux Apôtres, ſont entierement fabuleaux*. Quod ex eo Diaconi teſtimonio unice inferre licet, illud ſane eſt, jam tum eam invaluiſſe opinionem; quo minus mirandum ſit, eandem locum inveniſſe tum in quibuſdam Martyrologiis, ut Adonis Vienenſis, Notkeri, Uſuardi, & *Romano Veteri* a Rosweydo edito, tum etiam in duobus Diplomatibus nempe Caroli Magni altero anni DCCXCII., altero anni DCCCIII., & uno inſuper Ludovici Pii ac Lotharii Imperatorum anni DCCCXXX. ab eodem CL. V. allatis; in quibus ſcilicet vulgares opiniones paſſim recipi ſolent nullo præhabito examine, nullaque veritatis facta diſquiſitione.

IX. Poſt Paulli Diaconi auctoritatem Aquilejenſes S. Hermagoræ Acta proferunt a Mombritio edita Tom. II., deinde a Bollandi Continuatoribus recuſa ad diem XII. menſis Julii. At vero Acta illa leviſſimæ auctoritatis eſſe, tum recens eorum ætas, tum plures, iique fœdiſſimi errores, quibus paſſim ſcatent, ſatis ſuperque demoſtrant. Primo quidem *Auſtria provincia urbs* in iis dicitur Aquileja, quam non ante ſæculum VI. ita vocari potuiſſe, ex eo

liquet,

liquet, quod *Auſtriæ* nomen Forojulienſi provinciæ a Langobardis primum inditum ſit, quo nomine *Orientale Regnum*, Francos imitati, ſignificabant, ut poſt Juſtum Fontaninum in Elogio Hiſtorico Philippi a Turre §. II. pag. 3. adnotavit Anonymus Mediolanenſis in eruditiſſima Diſſertatione Chorographica de Italia medii ævi Sect. VIII. §. XXV. & XXVI., inſerta Tom. X. Rerum Italic. Scriptor., & alii. Referunt eadem Acta *juvenem* quemdam *nomine Athulſum* (alii *Athaulſum* legunt) *filium* Ulſii, *illuſtris & primi civitatis*, *qui magna lepra detinebatur*, a D. Marco ſanitati reſtitutum fuiſſe. Porro quis non videat *Ulſii*, atque *Athaulſi* nomina, Marci tempora, hoc eſt Romana, minime ſapere, ſed Gothorum, aut Langobardorum ætati reſpondere, quorum poſtremum, Hugone Grotio teſte in Indice nominum Gothicorum, quem Procopii Hiſtoriæ ab ſe editæ adtexuit, idem ſonat Gothica lingua, quod Romana *juratus auxiliator*? Quare ſi vera ſint quæ de illo miraculo ibi traduntur, ante Gallieni tempora minime ea contigiſſe nos credere oportet; ſub eo enim Imperatore barbarorum incurſiones in Italiam, atque in alias regiones malo quodam Imperii Romani fato cœperunt, ut apud Eutropium Lib. IX. de geſtis Romanorum videre eſt, proindeque ſuſpicari quis poſſet, ſi non Marcum, at certe Hermagoram, cui fortaſſe ea tribui debent, ea ætate vixiſſe. Neque vero ſine ulla prorſus animadverſione prætereundum eſt id, quod de *magna* Athulſi *lepra* referunt

Acta,

Acta, quibus verbis Elephantiaſin indicare videntur. Porro minime id conſentit eum iis, quæ de morbo illo Orienti notiſſimo ſcriptores memoriæ prodidere. Peculiarem Ægypto eum eſſe tradunt Lucretius Lib. VI. v. 1112., Plinius Lib. XXVI Cap. I. Marcellus Empiricus Cap. XIX. pag. 130., & Galenus Lib. II. Cap. XI. Jeſu Chriſti ætate in Judæa fuiſſe leproſos, negari nequit, Scriptura teſte. At in Europa non item. Saltem quod ad Italiam ſpectat, Plinius, qui eadem propemodum qua D. Marcus ætate floruit, auctor eſt loco laudato *ante Pompei Magni ætatem non accidiſſe* Elephantiaſin, deinde vero *celeriter reſtinctam fuiſſe*. Quod Cor. Celſus confirmat; *ignotum pæne in Italia* morbum eum vocans Lib. III. Cap. XXV. Sæculo demum XI. XII., & ſequentibus Europam quoque inundavit peſtilentiſſima lues, quam ex Judæorum frequentia & conſortio inductam quoſdam: alios vero ex variis expeditionibus Cruce-Signatorum in Syriam comportatam contendere, adnotavit Auguſtinus Calmetus Tom. I. Part. II. Comment. in S. Script. in Diſquiſit. de natura & cauſſis Lepræ. Attamen noſtris etiam temporibus frequentiores eſſe in Galliis, & Germania leproſos, quam apud Italos, teſtis eſt Marcellus Donatus Lib. I. Cap. IV. Medicæ Hiſtoriæ mirabilis, cujus hæc verba ſunt: *In Italia ſicuti raro admodum Elephantiaſis, ſeu Lepra obſervatur, ita mehercle minus quoque contagioſam, ſi quando occurrit, deprehendimus.*

X. Difficultati huic, quæ ex Gothicis nominibus

nibus oritur, occurrit Aquilejenſium Monumentorum eruditiſſimus illuſtrator & vindex, atque hæc contra Papebrochium, & Henſchenium reponit §. III. „ At enim Aquileja, Strabone teſte Geographiæ Lib. V. *patebat emporium Illyricis gentibus Iſtrum accolentibus*. Ait etiam „ Herodianus Lib. VIII. in Maximino: *Super* „ *civium ingentem numerum, etiam magnam vim* „ *hoſpitum, ac mercatorum eam urbem* (Aquilejam) „ *frequentaſſe: eamque ad mare ſitam, quaſi ter-* „ *minum Illyriæ*. Atque demum Ammianus Mar- „ cellinus Lib. XXI. *Italicos incolas* diſtinguit „ ab exteris. Quidni vero inter alienigenas, Il- „ lyricos, & Iſtros, qui Aquilejæ hoſpitaban- „ tur, aut ſedem fixerant, plerique fuerint „ exoticis nominibus muncupati? Id negaverit „ jure nemo. „ Quod deinde ſummatim repetit cap. III. §. II. At non advertit V. CL. Athulfum illum, de quo in Actis mentio eſt, *exterum*, aut *alienigenam* minime eſſe potuiſſe, utpote qui filius erat Ulfii *illuſtris, & primi civitatis*, quod indigenam, & quidem vetuſtiſſimum, ſeu potius patricium quemdam deſignare videtur. Deinde vero *Athulfus, & Ulfus* Gothica nomine ſunt, non autem Illyrica. Porro quid Gothis (qui e Scanzia pæninſula, ut quibuſdam placet, olim egreſſi, circiter D. Marci ætatem inter Albim & Viſtulam fluvios conſediſſe videntur) cum Illyricis Aquilejæ degentibus commune eſſe poterat?

XI. Sed deterius multo eſt quod Acta tradunt

dunt de eodem S. Marco, qui cum poſt aliquot prædicationis annos Aquilejenſem Eccleſiam jam fundaſſet, magnoque videndi Petri deſiderio teneretur, *populum occulte dimittere* in animum induxerat; & hoc ſane antequam Hermagoram Aquilejenſibus Epiſcopum præfeciſſet. O egregium Paſtorem, qui inſtantibus lupis, ſine duce ac rectore, clam gregem deſerere ſatagit! Quis tam pudendum facinus de ſanctiſſimo Evangeliſta ſuſpicari, ne dicam ipſi affingere audeat? Quis non videat ab ineptis & fanaticis tenebrionibus per ſummam impudentiam atque audaciam hæc commenta fuiſſe? Tradunt eadem Acta, Hermagoram a D. Marco Epiſcopum deſignatum, minime ab eodem conſecratum fuiſſe, ſed Romam ad Petrum perductum, ut ab Apoſtolorum Principe primus Aquilejenſium Paſtor initiaretur. Cap. vero II. in iiſdem legere eſt, Fortunatum Archidiaconum ſacro Baptiſmate diverſos abluiſſe, cum tamen Presbyteri multi præſto eſſent: quæ omnia recentem ſcriptorem produnt antiquorum Eccleſiæ morum non ſatis peritum, quique ex rerum conſtitutione, quæ ſuis temporibus, hoc eſt poſterioribus obtinebat, de antiquiſſimis illis loquatur; quod pariter evincit *Archidiaconi* vox, primis Eccleſiæ ſæculis minime uſitata. Sed jactantiam etiam ac vanitem ſcriptoris potius videas, quam veræ hiſtoriæ indicium ex iis, quæ de eodem Hermagora traduntur, qui cum S. Marco Romam profectus,

Digitized by Google

fectus, *a B. Petro accipiens baculum Pontificatus, & velamen ſacramenti cum benedictione, factus eſt Proton-Epiſcopus provinciæ Italiæ*. Hæc ut emolliat V. CL. hanc de Italiæ voce explicationem affert Cap. III. §. II. *Cave Italiam intelligas, quæ a freto Siculo ad alpium radices protenditur. Minus latam Italiæ acceptionem pro regionibus transciſque Padum poſitis, aliamque contractiſſimam pro Venetia, & Iſtria, primis Eccleſiæ ſæculis, maximeque juxta Conſtantinianam politiam invaluiſſe admonuimus*. Totum id libenter concedimus. Pergit porro: *Primum ergo conſtitutum renunciatumque Hermagoram in tota Venetia, ac Iſtria Epiſcopum, inficiabitur fortaſſe nemo. At etiam præ reliquis omnibus, qui ſedem tenuerunt in locis ac civitatibus Italiæ trans Padum, primatum illum geſſiſſe, incredibile non eſt*. Addit vero Cap. XIX. §. II. *Hermagoras dicitur Protos-Epiſcopus, non quia Metropolitico jure potiretur, ſed quia primus Antiſtes ille fuerit, qui abſque dubio in Venetia, & Iſtria, ac etiam fortaſſe in finitimis provinciis Chriſti fidem diſſeminaverit, & Eccleſias inſtituerit*. Qua ratione *primatum* ſuper omnes tranſpadanas civitates, vel etiam ſuper ſolam Venetiam, ac Hiſtriam *gerere* quis poſſit, neque tamen ullo Metropolitico jure fruatur, vix aſſequi valeo. At non id ſonant verba: *a B. Petro factus eſt Proton-Epiſcopus*, quæ collationem dignitatis alicujus manifeſte declarant. Quænam vero dignitas ea, niſi Metropolitica? Et quidem hoc eodem ſenſu ea Actorum verba accipiuntur in Actis Synodi Mantuanæ anno DCCCXXVII. celebra-

tæ, editis ab eodem de Rubeis Tom.IX. Conciliorum editionis Venetæ anni MDCCXXIX., in iis enim Hermagoras dicitur *Protos Italiæ Pontifex conſtitutus*, ipſa Aquileja *prima civitatis totius Italiæ*, & Aquilejenſis Eccleſia *Matrix ſemper & Metropolis*. Porro Metropolitanorum jura in Occidente multo ſerius incepiſſe, neque ante Nicænam Synodum, quæ anno Æræ Vulgaris CCCXXV. celebrata eſt, ullos in Italia univerſa agnitos Metropolitas fuiſſe, luculentiſſime probat V. CL. Benedictus Bacchinius in Diſſertatione de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus. Quod ſcilicet univerſæ per Italiam Eccleſiæ ab iis, qui vel a Petro, vel a Petri ſucceſſoribus gentium convertendarum cauſſa miſſi erant, fuerint erectæ, proindeque Romanæ ſedis quædam veluti Coloniæ eſſent, cui parebant, nullumque alium Metropolitam agnoſcebant præter Romanum Epiſcopum. Aquilejenſis vero Metropolis primordia, Valeriano alii, qui anno CCCLXXX. floruit, antiquiora non eſſe probant: alii multo etiam recentiora faciunt. Nemo ſanus ad Apoſtolorum tempora refert.

XII. Pergunt Acta, erroreſque erroribus accumulant. Hermagoram martyrio coronatum tradunt *imperante Nerone in urbe Roma, & præfecturam agente Agrippa, qui fuit filius fratris ipſius Herodis*. Quis quæſo ſibi perſuadeat, Præfecturæ munus a Judæo apud Romanos fuiſſe adminiſtratum? At Neronis tempore nullus Agrippa urbis Præfectus fuit; immo ex Plutarcho

in

in Othone diſcimus, Flavio Sabino urbis Præfecturam a Nerone traditam fuiſſe. Erroribus contradictiones adduntur. Fortunatum enim Diaconum ſimul cum Hermagora in Neroniana perſecutione capite plexum fuiſſe tradunt, *quem ipſe* (Hermagoras) *ab infantia cum Dei timore enutrierat*, ac in Epiſcopatu ſucceſſorem ſibi delegerat. Porro demus Hermagoram anno Chriſti XLIX., aut L. Aquilejæ creatum fuiſſe Epiſcopum, licet a multis id multo etiam ſerius contigiſſe aſſeratur. Demus eo ſtatim anno Fortunatum ab eo erudiri cœptum, qui tum decem annorum fuerit. Triginta ſaltem annos is numeratit oportet, cum ſucceſſor ab Hermagora deſignatus eſt, ac proinde reliqui ſunt XX. anni, qui prioribus additi ſummam conficiunt LXIX. aut. LXX. annorum, quo tempore & imperium, & vitam jam amiſerat Nero.

XIII. Tot ſphalmata, tot alucinationes in Hermagoræ Actis animadvertens eorumdem CL. vindex, ut quo pedem figere tuto poſſit, non habeat, tandem ipſorum auctoritati lubens meritoque nuntium remittit, modo ſibi integrum ſit tria hæc præcipua capita retinere, Aquilejenſem ſcilicet D. Marci Apoſtolatum, Hermagoræ in Epiſcopum electionem primo Æræ Chriſtianæ ſæculo, ac tandem ejuſdem cum Fortunato Diacono martyrium. Cetera ſi minus veritati conſona inveniantur, ſequiorum ſæculorum interpolationes eſſe contendit, quæ Actorum fidem ac integritatem minime evertant. At vero teſtimoniorum quorumcumque

non ea profecto ratio eſt, ut partim retineri, partim pro lubitu reſpui poſſint, niſi quæ ab aliis ſuppoſita eſſe contendimus, evidentiſſime demonſtremus. Quæ cauſſæ noſtræ ſavent, ea libenter amplecti, quæque officiunt, licet numero plura, falſariorum audaciæ tribuere, id contra omnes Criticæ regulas omnino eſſe videtur. Equidem non inficior ob unum alterumve erratum veteribus monumentis fidem omnem denegare, intemparantioris Critici eſſe; alteque inſident animo aurea Card. Baronii verba in Notis in Martyrol. Rom. ad diem IX. Octobris: *Si ob unum errorem, vel alterum in Vitis Sanctorum inventum, cetera quæ remanent, fide carere dixerimus, profecto omnes fere Sanctorum Vitas, in maximum diſcrimen inducimus, cum pæne in omnibus aliquid notari poſſit, quod corrigendum videatur; ſitque Canonicarum tantummodo Scripturarum ſingularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcuſſa, certaque narrentur.* At quæ fides jure habeatur documento adeo recentioris ætatis, minime ſibi cohærenti, quisquiliis tam turpiter abundanti, uno verbo, in quo totidem pæne ſunt nugæ, quot ſunt res, quæ commemorantur? Neque enim cujus hiſtoriæ capita quamplurima perabſurda ſunt, ejus pars reliqua erroribus carere cenſenda eſt.

XIV. Tertium D. Marci Apoſtolatus teſtimonium ex Catalogis, & Chronicis Patriarcharum illius Eccleſiæ deſumunt Aquilejenſes. Et ſane quod ad Catalogos attinet, in quibus ſola priſcorum Antiſtitum nomina recenſentur, ex

ſacris

ſacris Diptychis, quorum uſus ubique olim conſtantiſſime obtinebat, prodiiſſe illos contendit ſæpius memoratus CL. Vir, ac veriſimillimum putat, Catalogum hujuſmodi, quo olim Eccleſia Aquilejenſis utebatur, hodie vero adhuc utitur Eccleſia Forojulienſis, qui ab ſe editus eſt in Appendice §. I. ex antiquiſſimis illis Epiſcopalibus Tabellis emanaſſe; proindeque vetuſto probatiſſimoque teſtimonio niti Marci Evangeliſtæ ad Aquilejenſes prædicationem. At vetuſtati illius Catalogi multum officit *Patriarchæ* titulus, quo tum Marcus, tum Hermagoras, ſive Hermachoras, ceterique primi Aquilejæ Præſules inſigniuntur, cum apud omnes eruditos conſtet, eam appellationem poſt quartum dumtaxat Eccleſiæ ſæculum originem habuiſſe. Recentem interpolationem eam eſſe clamat vir doctiſſimus: at mihi prorſus non perſuadet. Si enim Catalogus ille ſacra Aquilejæ Diptycha, quæ olim ſub ipſis Miſſaſarum ſolemniis recitari conſueverant, repræſentaret, majori certe veneratione exceptus fuiſſet, neque titulos de ſuo addendi facultatem ſibi unquam interpolatores vindicaſſent. Sequuntur Chronica Patriarcharum Aquilejenſium, edita tum a V. CL. Ludovico Antonio Muratorio Tom. IV. Anecdotorum, & Tom. XVI. collectionis Rerum Italicarum, tum ab ipſo de Rubeis in Appendice §. II., quæ recentiora ceteroquin eſſe ipſis Hermagoræ Actis ingenue idem fatetur. Quod vero eorum auctoritatem mirum in modum infirmat, non tam

ætas recentior eſt, quam putidæ narrationes, ac fabulæ, quibus implicantur. De occulta enim dimiſſione, quam S. Marcus animo volvebat, antequam ullum Aquilejenſibus ordinaſſet Epiſcopum; de conſecratione itidem Hermagoræ Romæ a D. Petro facta, nec non de ejuſdem Hermagoræ Proto-Epiſcopatu, plane ſubſcribunt iis, quæ in Hermagoræ Actis leguntur. Neque minus lepidum figmentum illud eſt de Codice autographo Evangelii a D. Marco perſcripti, *qui hodie in Aquilejenſi Eccleſia omnibus videre volentibus, demonſtratur*. Codex enim ille, qui nunc partim Venetiis, partim Pragæ aſſervatur, Latinis litteris exaratus eſt, ut argumento plane certiſſimo probat ipſemet Cl. Vir Cap. II. §. V., cum tamen Marcus Evangeliſta non latine, ſed græce ſcripſerit, ut poſt Hieronymum Epiſt. CXXIII. ad Damaſum, & Auguſtinum Lib. I. Cap. II. de conſenſu Evangeliſtarum, viri eruditi pæne omnes conſentiunt. Sunt quidem, inter quos Baronius ad an. XLV. §. XXXIX., qui ex recentioribus monumentis, & conjecturis quibuſdam, non omnino inveriſimile putant, Marcum latine ſcripſiſſe, utpote qui Latinis hominibus ſcribebat, & quidem illiteratis, atque adeo Græcæ linguæ, ut credere par eſt, penitus ignaris. At ut ſileam, etiam Paullum ad Romanos ſcripſiſſe, neque tamen Romana, ſed Græca lingua uſum eſſe; quis ſibi perſuadeat, Hieronymum acerrimi ingenii ſubactæque eruditionis virum, ſacrarum vero litterarum ad mi-

racu-

raculum uſque peritum, adeo ſtupidum ſe ſe exhibuiſſe, ut qua lingua Marcus ſcripſerit, ignoraverit; ejuſque Evangelium interpretaturus, Græcum textum pro autographo habuerit? Adde præpoſteram eam eſſe argumentandi rationem, ex conjecturis facta negare, quæ ceteroquin firma auctoritate nituntur. Si enim ita arguere liceat, quodcumque velis, nullo negotio negare poteris, nihil enim in humanis rebus unquam accidit, quod ſi ad conjecturas quaſdam confugias, minime accidiſſe videri haud poſſit.

XV. Reſtat proſtremum Aquilejenſium monumentum, hiſtoria ſcilicet quædam, quæ *Apoſtolatus Aquilejenſis* titulo circumfertur, edita a Godefrido Henſchenio ad diem XXV. menſis Aprilis Tom. III.; in quo fundamento convellendo minus nobis laborandum erit, quandoquidem ipſemet de Rubeis lubentiſſime Tillemontio ſubſcribit, exiſtimanti ex politiori ejus hiſtoriolæ dictione recentiſſimam colligi auctoris ætatem, qui jam inſtauratis in Italia litteris floruerit. In ea quoque repetuntur ineptiæ, quas ſupra memoravimus; præſertim de Codice autographo Evangelii D. Marci, quæ novo etiam fulcitur adminiculo, lepido ſane atque eleganti: *Adeſt etiam* (legitur ibidem) *hujus rei teſtis, quæ uſque in hodiernum diem ad confirmandam hujus veritatis aſſertionem in eadem Eccleſia perſeverat, ex ebore utique antiquo cathedra, politis compacta tabulis, in qua quidem ſediſſe illum* (D. Marcum) *dum Evangelicas paginas exararet,*

priſcorum non reticuit memoria relatorum; in cujus nimirum cathedra ſedili nullus eſt unquam auſus Pontificum reſidere, ſed in magna veneratione hactenus extat a cunctis Pontificibus humiliter honorata.

XVI. Hæc ſunt, quæ Aquilejenſes hactenus protulerunt domeſticæ traditionis momenta, quæ num tanti valeant, ut D. Marci Apoſtolatum in tuto ponant, peritioribus, atque a partium ſtudio alienis, dijudicandum relinquo. Reſtat ut quæ contra eos afferri poſſunt argumenta, breviter expendamus. Primum illud eſt, quod ex Euſebii Cæſarienſis in Eccleſiaſtica Hiſtoria, nec non Hieronymi in libro de Viris Illuſtribus ſilentio deſumitur, quorum poſterior in Aquilejenſi urbe aliquandiu fuit, ſuiſque laudibus tum Eccleſiam illam, tum Præſules ſynchronos extulit. S. Marcum, quod Evangelium ipſe conſcripſerat, cum eo quidem in Ægyptum perrexiſſe, atque Alexandrinam Eccleſiam primum fundaſſe, narrat uterque; ſed de Aquilejenſi nulla fit mentio, quamvis in illius viri ſanctiſſimi actis perſequendis opportunus id ſaltem innuendi daretur locus. Sed quis credat, Rufinum Aquilejæ educatum, ſacroque ibidem Baptiſmate tinctum, in XIV. XV. aut XVI. Cap. Lib. II. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii a ſe in Latinum converſæ, in quibus agitur de P. Apoſtoli cum D. Marco ad urbem Romam adventu, deque ejuſdem D. Marci Evangelii ſcriptione, atque in Ægyptum ad Chriſti fidem enuntiandam profectione, tantum Aquilejenſium decus præterire ſilentio vo-

voluiſſe? Quum enim, ut viri eruditi pæne omnes inter ſe conſentiunt, & Rufinus ipſe non uno in loco teſtatur, in illa Euſebii Hiſtoria vertenda multa demere, & mutare, plura vero addere licitum ſibi duxerit: quum, ut cetera prætermittam, Lib. VII. Cap. XXV. narrationem Euſebiano textui de ſuo ipſe adtexuerit de rebus a S. Gregorio Thaumaturgo præclare geſtis, quæ ad Eccleſiam Aquilejenſem nihil omnino pertinent; profecto tam turpiter eum ſibi defuiſſe exiſtimandum non eſt, ut Eccleſiæ ſuæ tam ſplendidum ornamentum negligeret, ſi quidem traditioni ſuorum temporum illa opinio conſentanea fuiſſet. Fateor equidem negantis argumenti exiguam vim eſſe ad opinionem aliquam convellendam; ſed, ut antehac a doctiſſimis viris obſervatum fuit, ea argumentandi ratio validiſſima eſt cum aliquid poſitivi admixtum habet. Porro quod Euſebius, & Hieronymus, diligentes ceteroquin ſcriptores, D. Marci prædicationem, & Eccleſias ab eodem erectas data opera recenſuerint, neque tamen de Aquilejenſi mentionem fecerint; poſitivum illud eſt, quod in negantibus argumentis, ut aliquid efficiant, requiritur. Sed plus etiam quam poſitivum videri poſſit, Rufinum Concordiæ natum fuiſſe, quæ agri Aquilejenſis civitas eſt, ſacroque Aquilejæ lavacro regeneratum. Si enim patriæ amor eo ſæpiſſime ſcriptores impellit, ut falſa comminiſcantur, quis ſibi unquam perſuadeat adeo in Rufino tepuiſſe, ut ne vera quidem memoriæ proderet? Difficul-

tatem

Digitized by Google

tatem hanc repellere conatur V. CL., reponitque Cap. I. §. V. Rufinum *duobus in libris Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quos ab Arianæ hæreſeos primordiis uſque ad Theodoſii Magni obitum perduxit, adeo rerum Aquilejenſium immemorem ſe exhibuiſſe, ut cum plura ad alias Eccleſias pertinentia narret, nihil omnino de illis in tanta materiei ſegete proferat.* At diverſa omnino ratio eſt eorum, quæ vetuſtior ætas jam conſecravit, ab iis, quæ Rufini ætatem propius attingunt, quæque dedecus non exiguum Aquilejenſibus Præſulibus pepererant, a quibus commemorandis abſtinendum prorſus erat, ne ſcilicet memoriam recentiſſimi vulneris, quod Diœceſis illa ab Ariana peſte acceperat, invidioſa recordatione refricaret. At Aquilejenſis D. Marci Apoſtolatus commemoratio, utpote rei præclariſſimæ, maximque tum Aquilejenſis Eccleſiæ, tum totius Italiæ ornamenti ac ſplendoris, nulli non grata, nulli non jucunda eſſe poterat.

XVII. Alia oritur difficultas, nec ſane levis, ex Alexandrina Eccleſia, una ſcilicet ex tribus primariis Sedibus jam inde ab exordio Chriſtianæ rei conſtitutis, quam tamen Aquilejenſi poſteriorem fateri neceſſe eſſet, ſi hujus initia ad D. Marcum referantur. Jo. Baptiſta Sollerius in Diſſertatione ad Seriem Chronologicam Patriarcharum Alexandrinorum Tom. V. menſis Junii §. I. & II., ut inter omnes tum veteres, tum recentiores, qui de S. Marci prædicatione ſcripſerunt, concordiam conſtitueret, nulliqne non faveret, ſine ullo prorſus teſtimonio, atque

que ex meris conjecturis, varias Evangeliſtæ ad Ægyptios, & Alexandrinos miſſiones commentus eſt, & quam Euſebius, Epiphanius, Hieronymus, aliique profectionem D. Marci in Ægyptum, & Alexandriam vocant, eam ipſe reditum appellat. Opinationem hanc, quod cauſſæ ſuæ valde faveret, avidiſſime arripuit V. CL., eamque adeo certam & exploratam habuit, ut Cap. I. §. III. Scribere non dubitaverit: *Longe antequam Romam Marcus proficiſceretur, Ægyptiis, & Alexandrinis verbum Christi ipſum evangeliſaſſe, pro certo habendum eſſe.* Alexandrinam igitur Eccleſiam ante D. Marci ad Urbem adventum jam conſtitutam fuiſſe autumat; proindeque Aquilejenſi poſteriorem minime dici poſſe. Refragantur quidem huic ſententiæ Aquilejenſium ſuorum monumenta. Hermagoræ enim Acta *primam* D. Marci *ſortem* vocant Aquilejenſem Apoſtolatum; quæ ut ſimul conciliet, mire ſe torquet Vir doctiſſimus, ac tandem eo adducitur, ut credat *primam ſortem* dici in Actis illis, *non qua abſolute, ac univerſim contigit Marco; ſed Aquilejenſis, cum primus ille mandatum acceperit a Principe Apoſtolorum, ut Roma diſcedens, Evangelium Chriſti Aquileja nuntiaret, Eccleſiamque inſtitueret.* Quaſi vero tot eſſent *primæ* Apoſtolorum *ſortes*, quot ſunt loca, in quibus primum Evangelium enuntiarunt. Ne quid dicam de Actorum verbis, ex quibus evidentiſſime patet, ad Marci perſonam, & qui idem generatim, *primam* illam *ſortem*, non autem ad locum referri. En verba ipſa: *Tunc accipiens B. Marcus primam ſortem,*

tem,

tem, *& baculum Pontificatus*, *arripuit iter*, *& veniens pervenit apud prædictam urbem*, *quæ dicitur Aquileja*. Hunc eſſe genuinum loci iſtius ſenſum, confirmat etiam univerſa Venetorum ſæculi IX. traditio, cujus teſtes luculentiſſimi ſunt Bonus Tribunus Mathemaucenſis, & Ruſticus Torcellenſis, Veneti mercatores, qui quum anno Æræ Vulgaris DCCCXXVIII. corpus S. Marci Evangeliſtæ Alexandria Venetias deferre niterentur, cuſtodibus reluctantibus, & Alexandrinam D. Marci prædicationem obtendentibus, repoſuerunt: *Si de prædicatione ejus* (D. Marci) *tractandum eſt*, *ſcimus quia primum Aquilejam civitatem Italiæ duxit ad fidem*, *quæ ſita eſt in provincia illa*, *quæ ex antiquo Venetia nuncupatur*, *de qua nos orti ſumus. Ergo nos ſumus primogeniti filii ejus*, *qui primum ab eo per Evangelium geniti ſumus*; ut legere eſt in Hiſtoria Translationis Corporis S. Marci, quam ex Vaticanis codicibus eruit Baronius, vulgavitque Tom. IX. Annal. ad annum DCCCXX. §. XXII., recuſa deinde a Bollandianis Tom. III. Aprilis pag. 353. Quod pariter confirmat Dandulus in Chronicis Lib. VIII. Cap. II. Part. VI. Neque tamen inficiari velim, Marcum primum & unicum Ægyptiorum Apoſtolum, eam provinciam ne levitur quidem attigiſſe, antequam Romam cum D. Petro iter ſuſciperet, & Evangelium litteris conſignaret; cum præſertim ejuſdem Acta apud Henſchenium ad diem XXV. Aprilis Tom. III., & Arabes auctores aperte pronuntient, finitimis eum populis Evangelium annun-

annuntiaſſe, antequam de Alexandria ad Chriſti fidem convertenda a Spiritu S. moneretur. Illud unice contendo, Alexandrinam prædicationem, atque adeo illius Eccleſiæ exordium, poſt Romanum D. Marci iter, ſcriptionemquem Evangelii, repetendum eſſe, quod diſertiſſimis, concordibuſque tum Græcorum, tum Latinorum, Euſebii, ſcilicet, Epiphanii, Hieronymi, aliorumque teſtimoniis firmatur. Omnes enim de Alexandrina miſſione, tanquam de re, quæ Evangelii ſcriptionem proxime ſit conſecuta, loquuntur. Quod ut clarius pateat, ipſorum verba afferam: *Aſſumto itaque Evangelio*, ait D. Hieronymus Cap. VIII. de Viris Illuſtribus, *quod ipſe* (Romæ) *confecerat, perrexit ad Ægyptum, & primus Alexandria Chriſtum annuntians, conſtituit Eccleſiam, tanta doctrina, & vita continentia, ut omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret*. Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. I. Cap. XVI. *Ceterum hunc Marcum in Ægyptum profectum, Evangelium, quod ipſe* (Romæ) *conſcripſerat, primum illic prædicaſſe perhibent, & in ipſa urbe Alexandria Eccleſias conſtituiſſe*. Epiphanius demum Hæreſi LI. VI. *Itaque poſt Matthæum ſtatim Marco, qui Romæ S. Petri comes fuerat, ſcribendi Evangelii provincia committitur. Quod cum feciſſet, a B. Petro in Ægyptum mittitur*. Quibus addi poſſunt Theophylactus Præf. in Comment. in Evang. Marci, Nicephorus Lib. II. Cap. XVI., Martyrologium Romanum, aliique probatiſſimi teſtes. Quæ cum ita ſint, mirum ſane eſt, viros alioquin doctiſ-

ctiſſimos, toti antiquitati refragari auſos, nullo propemodum teſtimonio, nulla auctoritate fultos, ſed ſolis, iiſque levibus conjecturis innixos. Quod ſi cuilibet licitum concedamus, jam nullum eſt, iterum dico, hiſtoriæ caput, quamvis evidentiſſimum, quod prorſus labefactari, & convelli non poſſit.

XVIII. Tertia contra Aquilejenſem Marci Evangeliſtæ Apoſtolatum difficultas eſt, prædicationis illius teſtes antiquiores parum ſibi conſtare. Hermagoræ enim Acta, Marcum Evangeliſtam Aquilejam miſſum memorant ſtatim poſt Petri ad urbem Romam adventum. At hiſtoria Apoſtolatus Aquilejenſis poſt victum a D. Petro Simonem Magum. Quod quidem accidiſſe oporteret, ſi Marcus Aquilejam profectus eſſet poſt Evangelii ſcriptionem, ut univerſa Aquilejenſium traditio fert; nam tum veteres, tum recentiores inter ſe conſentire videntur, Marcum Romæ a fratribus rogatum, Evangelium ſcripſiſſe poſt D. Petri de Simone Mago victoriam. Chronicon Patriarcharum Aquilejenſium innuere videtur, non quidem Romæ, ſed Aquilejæ a D. Marco Evangelium fuiſſe exaratum, ait enim: *Marcus Evangeliſta, qui ab ore Petri Evangelium ſcripſit, ex præcepto B. Petri ad urbem Aquilejam venit; & per plures annos verbum ibi ſalutis prædicans, Evangelium propria manu ſcripſit: quod hodie in Aquilejenſi Eccleſia omnibus volentibus demonſtratur*. Quod penitus fabuloſum eſt. Præterea Paullus Diaconus auctor eſt, Hermagoram D. Marci *comitem* fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, qui ſcilicet cum eodem Aquilejam pervenerit. Quod confirmare videntur Martyrologia Adonis Viennenſis, Notkeri, Uſuardi, & Romanum Vetus, in quibus omnibus S. Marci *diſcipulus* appellatur. Contra vero Andreas Dandulus in Chronicis Lib. IV. Cap. II. *natione Germanum* eum facit, qui ex diutino incolatu habitus ſit *Aquilegiæ civis*. Quod hiſtoria Apoſtolatus Aquilejenſis, & Pincius noſter confirmant. Porro *vera hiſtoriæ indicium eſt* (ait Joſephus Lib. I. contra Appionem) *ſi de eiſdem rebus omnes eadem dicant, atque conſcribant*. Scilicet ut conſenſus eſt veritatis, ita diſſenſio eſt erroris, ac mendacii luculentiſſimum argumentum; natura enim ſua varia ſunt, neque ſibi mutuo cohærent, quæ ad libidinem excogitantur.

XIX. Hactenus de Marci ad Aquilejenſes prædicatione. Reliquum eſſet, ut aliquid diceremus de Hermagora, qui primus Tridentinis Evangelium annuntiaſſe traditur. At cum hujus Acta iiſdem fundamentis fulciantur, quibus Marci Aquilejenſis Apoſtolatus innititur, eaque nullius ſoliditatis, ac roboris ſint, ut hactenus demonſtravimus; totum id plane corruat neceſſe eſt, quod iiſdem inædificatur; neque inde certi quicquam elici poteſt tum quod attinet ad ætatem, tum quod attinet ad Hermagoræ Præſulatum. Illud dumtaxat addiderim, Tillemontii argumentum ex Venantii Fortunati ſilentio, qui in Vita S. Martini Lib. IV., & Carminum Lib. VIII. Carm. IV., nullam

Digitized by Google

Iam Hermagoræ mentionem facit inter illuſtres Aquilejenſes Martyres, cum tamen opportuniſſima eum commemorandi daretur occaſio, maximam vim inde ſumere, quod Venantius non longe ab Aquileja natus fuerit, quippe qui a Duplavenis valle, prope Cenetam, & Tarviſium oriundus erat. Negotium pariter non leve exhibet, quod in antiquiſſimo Florentinii Martyrologio, vulgo D. Hieronymo tributo, in quo ad diem XII. Julii ſub *Armigeri*, ſeu *Armageri* nomine Hermagoram latitare vult idem auctor in Notis, nulla Epiſcopatus ipſius mentio fiat, cum alioquin Epiſcopalis dignitas diligentiſſime adnotari ſoleat in Martyrologiis.

XX. Sed quod ad S. Hermagoræ ætatem ſpectat, illud etiam minus commodum videtur, quod ab ipſo ad Helarum, ſeu Hilarium, qui ejus in Aquilejenſi Eccleſia ſucceſſor fuit, atque anno Æræ Chriſtianæ CCLXXVI. Epiſcopus eſt deſignatus, ſpatium interponitur CCVI. annorum, quibus ſedem vacaſſe aſſerunt. Ex quo conjici licet, Hermagoram (ſi tamen ullus unquam Hermagoras Aquilejenſis Epiſcopus fuit) paullo ante Hilarii tempora, hoc eſt poſt dimidium tertii ſæculi, floruiſſe, cui Hilarius non multo poſt fuerit ſuffectus. Neque enim eorum temporum ratio, & Chriſtianorum inſtituta tam immanem lacunam in Aquilejenſium Epiſcoporum ſerie admittere nos permittunt; ac Palladii remedium, qui ut eam expleret, ac ſeriem feliciter continuaret, ab anno LXX. ad annum XCVI. Hilarium

larium ſediſſe vult, ſequentibus vero Epiſcopis annos ex arbitrio addit, atque etiam novos invehit Antiſtites; lepidum ſane, ridendumque commentum ſanis hominibus merito viſum fuit: quod etiam vel ex eo falſi arguitur, quod Hilarium ex editis apud Bollandi Continuatores Actis Tom. II. Martii, ſub Numeriano paſſum fuiſſe conſtet. Nullum non movet lapidem ſæpius laudatus eruditiſſimus Vir, ut difficultatem hanc, quæ ex enormi in Eccleſia Aquilejenſi hiatu oritur, penitus tollat. Fidem ergo Actorum Hilarii elevat Cap. IV., conjicitque martyrio coronari potuiſſe anno CCV., vel etiam CLXX., nempe ut quam poteſt maxime, propiorem Hermagoræ eum ſtatuat. Sic ſequentium Præſulum ætates, ſucceſſioniſque ordinem arbitratu ſuo figit, tranſponitque, ac Andreæ Danduli calculos, quos ex vetuſto Gradenſi Chronico ſumebat Venetus Chronographus, penitus reſpuit. Sed dum repudiatis domeſticis, iiſque unicis monumentis, ad meras conjecturas confugit, videat quæſo Vir doctiſſimus ne in licentiam ei ſimilem, quam tantopere in ſuis Candido, & Palladio improbat, ipſe quoque incidere videatur. Certe eo loci ſi quæ ab ipſo afferuntur, ut acre ejus ingenium, eruditionem ſolidam, ac ſollertiam incomparabilem probant, pari robore difficultatem quam verſat, eliderent; non eſſet cur Apoſtolica Hermagoræ ætas ex eo capite detrimenti quicquam timeret. Quæ cum ita ſint, aſſumimus hic denuo quod principio a nobis poſitum fuit, ſci-

licet S. Marci ad Aquilejenſes prædicationem, atque adeo Hermagoræ, primo præſertim Eccleſiæ ſæculo, Præſulatum, rem incertam, ne dicam commentitiam eſſe. Quare (ut ad rem noſtram tandem revertamur) ex his omnibus illud apertum eſt, quod etiamſi concederetur, Tridentinam Eccleſiam ab Hermagora fundatam fuiſſe, primumque illius civitatis Epiſcopum Jovinum ab eo deſtinatum, quod Pincius aſſerit nullo veteri monumento adjutus; non tamen inde certo colligi poſſet, illi affulſiſse Evangelii lumen primo, aut ſecundo Æræ Chriſtianæ ſæculo; ac Jovinum Apoſtolorum temporibus floruiſſe.

XXI. Sed inſtabit fortaſſe quiſpiam ſacrarum Aquilejæ antiquitatum juratus aſſertor, qui fieri poſſit, ut res ceteroquin poſſibilis, adeo pervulgata medio præſertim ævo, ficta prorſus ac commentitia ſit? Cui bono fabulas hujuſmodi venditare? Gratis enim nunquam quemquam mentiri certiſſimum eſſe; adeoque raro admodum evenire ſolere, ut quæ multis jam retro ſæculis fama celebrata ſunt, omniumque ore protrita, falſa prorſus ac fictitia reperiantur; eorum enim, quæ nunquam fuerunt, ut nulla vis, nulla eſt natura, ita nec dicendi cuiquam materiam præbere. Quam in rem illud eſſe Averrois in Paraphraſi in librum Ariſtotelis de Somno & Vigilia: *Ea, quæ ſunt famoſa apud omnes, aut ſunt neceſſaria ſecundum totum, aut ſecundum partem: impoſſibile enim eſt, ut famoſum ſit falſum ſecundum totum*. Hæc, quæ veriſſima ſunt,

cogi-

cogitanti mihi, illud occurrit, nequaquam gratis mentiri, qui pro aſſerenda Eccleſiæ ſuæ vetuſtate mentitur. Quippe omnes ea pervaſit opinio, nec prorſus immerito, maximum decus eſſe, Evangelii lucem jam inde ab Apoſtolorum temporibus habuiſſe. Sed dum attentius mecum ipſe reputo ampulloſa pleraque, nimiumque fidenter prolata, quæ in Aquilejenſium monumentis occurrunt, in quibus Aquileja *famoſiſſima*, & *famoſiſſimum Italiæ caput* appellatur, Hermagoras vero dicitur *Protos-Epiſcopus Provinciæ Italiæ*, qui *ſuper omnes Eccleſias Italiæ primatum obtinuit*; ex ſchimaticis, ventoſis hominibus, hæc omnia ortum habuiſſe mihi perquam veriſimile fit. Scilicet ut Conſtantinopolitani quondam Epiſcopi, qui ex regiæ urbis, in qua degebant, dignitate Romam æquare, Orientique præeſſe præſumebant, neque tamen eum honorem ab Apoſtolica inſtitutione trahere valebant, ad fabulam neſcio quam de Byzantina Eccleſia ab Andrea D. Petri germano fundata, confugerunt; ita quoque Aquilejenſes tempore Schiſmatis Hiſtriæ, quo ſchiſmatici illius provinciæ Epiſcopi, abrupta cum quatuor ſedibus Patriarchalibus communione, jus Patriarchicum in Aquilejenſem Metropolitam trasferre auſi ſunt; fabulam illam conſarcinaſſe videntur, ut prima Aquilejenſis Eccleſiæ inſtitutione ad Marcum Evangeliſtam revocata, Apoſtolum cum Alexandrina communem oſtentarent, atque adeo adverſus Romanam caput extollere poſſent, collatamque

Digitized by Google

per ſummam audaciam proprio Metropolitæ dignitatem quo jure, quare injuria tuerentur. Id eo fidentius aſſero, quod conſtet ex ſecunda Pelagii II. Summi Pontificis ad Eliam Aquilejenſem Metropolitam Epiſtola, quam affert Baronius ad annum DLXXXVI., eoſdem ſchiſmaticos Patrum teſtimonia incongrua, & ad cauſſam ſuam non pertinentia, ordine ita turbato, libellis Imperatori oblatis inſeruiſſe, *ut quod ſcriptum nomine alterius, alterius nominis titulo promeretur*. Ex quo pronam ſchiſmaticorum ad mentiendum voluntatem, prurientemque fingendi libidinem, arguere licet. Neque vero mirum eſt, Paullum Diaconum (ex quo ſcilicet uno ad reliquos manaſſe ea perſuaſio videtur) traditionis illius radices vitiatas atque corruptas minime detexiſſe, eamque lectoribus ſuis libentiſſime propinaſſe; quandoquidem ſatis conſtat quam pingui minerva de Schismate illo Hiſtriæ egerit, quamque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ignarum ſe præbuerit Langobardorum Hiſtoricus, præſertim Lib.III. Cap. XXVI. de geſt. Lang. Simplicitate enim ridenda, ne dicam intollerabili, totam Trium Capitulorum hiſtoriam mire pervertit, ac quod in ſchiſmaticis illius provinciæ Epiſcopis culpandum erat, Tria nempe Capitula eos acerrime defendiſſe, probat ipſe, laudatque quammaxime; fingitque Smaragdum Patricium, qui eos ad Eccleſiæ unitatem revocare tentaverat, a Dæmone non injuſte correptum fuiſſe. Qua in re a ſchiſmaticorum ſabellis, quæ ſua adhuc æta-

Digitized by Google

ætate vigebant, deceptum fuiſſe, nemo fortaſſe inficiabitur.

XXII. Tertium argumentum, idemque validiſſimum, quo probamus, Tridentinæ Eccleſiæ exordia multo recentiora eſſe ac vulgo hactenus creditum fuit, petitur ex difficultate, qua Verbi Divini præcones primis Eccleſiæ ſæculis premebantur in Evangelio nationibus divulgando, multoque magis in Eccleſiis erigendis inter gentes idolis deditiſſimas, & Chriſtianæ religioni, ejuſque ritibus infenſiſſimas. Ante Conſtantinum Magnum, primum inter Romanos Imperatores, qui religionem Chriſtianam aperte profeſſus ſit, difficillimum fuit Eccleſias conſtruere, palamque Chriſti fidem profiteri, idololatriæ ſcilicet impenſe faventibus Imperatoribus, Chriſtianoſque omni conatu perſequentibus. Ut cetera ſileam, quibus id demonſtrari poſſet, & argumento utar, quod propius nos attingit, ex harum regionum conditione S. Vigilio florente id manifeſte colligitur. Sæculum pæne effluxerat, ex quo pacem Conſtantinus Eccleſiis dederat, nihilo tamen ſecius idolorum cultores Tridentinam urbem ferme circumſidebant. In valle enim Anaunia, anno Æræ Chriſtianæ CCCXCVII. a ruſticis & Paganis martyrio affecti ſunt Siſinnius Diaconus, Martyrius Lector, & Alexander Oſtiarius. Paullo poſt ipſemet Vigilius, non quidem in urbe Tridento, ut ſcribit Ughellus (ex quo deceptus fuiſſe videtur Marchio Scipio Maffejus Veronæ Illuſtratæ Part. I. pag. 211.) ſed in valle

Randena XXV. M. P. a Tridento diſſita, ut ex ejuſdem Epiſcopi Actis Cap. I. §. VI. liquet, lapidibus obrutus, martyrii palmam adeptus eſt. Legitur in iiſdem Actis Cap. I. §. II, *B. Vigilium* ab Aquilejenſi Epiſcopo *extra muros civitatis Tridentinæ, ad eandem ſedem gubernandam,* conſecratum fuiſſe; quo loco ita appoſite Papebrochius: *Quia ſcilicet, civibus adhuc majori parte gentilibus, nulladum ſacra ædes in urbe erat.* Teſtantur denique paullo poſt eadem Acta, *S. Vigilium reſpectu divino animatum, exiſſe ad territoria Veronenſium, & Brixianorum, & multitudinem populorum agreſtium Chriſto per baptiſma acquiſiviſſe.* Quod argumento eſt necdum ab illis diœceſibus, quamvis alioquin ante Tridentinam fidem recepiſſent, gentilium errorum tenebras, inclinante quarto ſæculo, omnino pulſas fuiſſe. Sed quid dicam ab illis diœceſibus? Nonne ab Anonymo, qui Pipino Caroli Magni filio regnante, rhythmicam Veronenſis urbis Deſcriptionem elucubravit, a Mabillonio in Analectis Veteribus editam, memoriæ proditum eſt, S. Zenonem, qui ſæculo quarto exeunte Veronenſi Eccleſiæ præfuit, *Veronam prædicando ad baptiſmum* reduxiſſe? Quæ cum ita ſint, mirari interdum ſubit, fuiſſe nonnullos, qui tam fidenter ſibi perſuaſerint a S. Petro, vel ab alio ex Apoſtolis, Epiſcopos ad hæc, vel illa loca miſſos, qui ſtatim Eccleſias ea felicitate fundare potuerint, ut iis Antiſtes alii atque alii non interrupte ſucceſſerint; veluti ſi Chriſtianæ religionis res iis temporibus quam-

maxi-

Digitized by Google

maxime florerent, ſummaque pace fruerentur. Jucunda ſane perſuaſio ea eſt hominum in antiquitate Eccleſiaſtica adhuc rudium, atque imperitorum. Si enim contra piorum Principum edicta ac leges, & graviter & frequenter peccatum eſt, idolorum ſcilicet everſionem impatienter ferentibus Ethnicis, quid de iis temporibus exiſtimandum, cum ipſimet Imperatores, utpote Gentiles, & idolis favebant, & Chriſtianos totis viribus perſequebantur? Ceterum poſt Conſtantini tempora, & ipſo etiam Conſtantino imperante, multum ſane univerſe res Chriſtiana incrementi cepit. Tunc leges ſanctiſſimæ ab eo in Chriſtianorum gratiam latæ, res Eccleſiarum omnes, quæ fiſco antea addictæ erant, reſtitutæ, exſilio, bonorum proſcriptione, ac ſervitute ſoluti, qui ob religionis Chriſtianæ profeſſionem ea paſſi fuerant, falſorum numinum cultus lege lata prohibitus, templa idolorum, & ſimulacra plurima everti juſſa, denique Eccleſiam non ſolum non vexavit pius Imperator, ſed etiam innumeris propemodum bonis auxit ac locupletavit.

XXIII. Verum objiciat hic aliquis, ceteris regionibus Evangelium tum ſecundo, tum etiam primo ſæculo annuntiatum fuiſſe. Et vero, ut de reliquis ſileam, in Galliam primo ſæculo Chriſti fidem illatam fuiſſe probant ejus nationis viri doctiſſimi; fundata nempe fuerat a S. Trophimo S. Paulli Apoſtoli diſcipulo Arelatenſis Eccleſia, Viennenſis a S. Creſcente Paulli itidem diſcipulo, Lemovicenſis a S. Martiali

uno ex LXXII. diſcipulis, Narbonenſis a S. Paullo Apoſtolorum diſcipulo, Pariſienſis denique a S. Dionyſio Areopagita. Quæ, ſi vera ſint, quis ſibi perſuadeat in Italia, hoc eſt in ea regione, in qua Petri cathedra, & Eccleſia principalis, (ut D. Cypriani verbis utar in Epiſt. LV.) in qua origo unitatis, in qua fons, ex quo rivuli ad reliquas profluxere; Chriſti fidem tam exiguos progreſſus feciſſe? Accedunt loca pleraque SS. Patrum, quibus evincitur, exteris nationibus, quam longiſſime a Roma diſſitis, ſatis mature Evangelii lumen affulſiſſe. Irenæus enim, qui anno circiter CXC. Æræ Vulgaris ſcribebat, hæc appoſite ad hanc rem habet Lib. I. Cap. III. adverſus Hæreſes: *Etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ. Sed ſicut ſol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire*. Paria profert Tertullianus in libro adverſus Judæos §. VII., qui non multo poſt Irenæum floruit. *Gætulorum varietates*, ait ipſe, *& Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum*

rum

Digitized by Google

rum multarum gentium, & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non poſſumus. In quibus omnibus locis Chriſti nomen qui jam venit, regnat: utpote ante quem omnium civitatum portæ ſunt apertæ, & cui nullæ ſunt clauſæ: ante quem ſeræ ferreæ ſunt comminutæ, & valvæ æreæ ſunt apertæ. Sed clarius laudatus Cyprianus Epiſt. LII. de Novatiano ad Antonianum verba faciens: *Cum ſit a Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille* (Novatianus) *poſt Dei traditionem, poſt connexam & ubique conjunctam catholicæ Eccleſiæ unitatem, humanam conatur Eccleſiam facere, & per plurimas civitates novos Apoſtolos ſuos mittit, ut quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque jam pridem per omnes provincias, & per urbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios pſeudoepiſcopos audet.* His ut occurramus, illud animo reputandum eſt, Italiam, ut Imperii ſedem, ita quoque Ethnicæ religionis centrum fuiſſe, in qua ſummo in honore erat, ſummaque veneratione colebatur. Quare factum eſt, ut tum Chriſtiana, tum reliquæ omnibus inviſæ, ac deſpectui habitæ, tamquam exſecrandæ ſuperſtitiones traducerentur. En quibus coloribus ſacroſanctam Chriſti religionem depingat Romanus ſcriptor, hoc eſt Cornelius Tacitus Annal. Lib. XV. Cap. XLIV. *Ergo*, inquit, *abolendo rumori Nero ſubdi-*

dit

Nota

dit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus mali, ſed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Cui concinit Suetonius in Nerone Cap. XVI. *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ*. Quemadmodum igitur difficilius contra leges, atque edicta Principum ab iis delinquitur, qui in ipſa Principis civitate, atque ante magiſtratuum oculos verſantur, quam ab illis, qui ultimos imperii fines incolunt; ita quoque operoſius erat in Italia, hoc eſt in ipſa Ethnicæ pravitatis ſede, deſtructis idolis, Eccleſias erigere, ac Chriſtiana doctrina hominum mentes imbuere, quam alibi. Quare etiamſi concederemus tum Gallis, tum aliis etiam nationibus univerſim Evangelium innotuiſſe, priuſquam ejus lumen omnes Italiæ regiones pervaderet, minime id mirum videri deberet, quippe nationes illæ, ut longe ab Imperio diſſitæ, ita novos quoque, atque extraneos ritus facilius recipere, ac profiteri potuerunt. Verum enimvero cum Irenæi, tum Tertulliani propoſitiones, non de ſingulis generum, ut Scholæ loquuntur, ſed de generibus ſingulorum intelligendæ ſunt, hoc eſt illud dumtaxat innuunt, omnibus illis regionibus jam tum Chriſtum innotuiſſe, atque Eccleſias etiam fuiſſe fundatas,

qui-

quibuſdam ſcilicet in urbibus, non autem in ſingulis. Quod ſi Tertullianus *omnium civitatum portas* Chriſto reſeratas eſſe ait, *nullas clauſas*, emphatico ejus ſtilo ac rhetoricæ exaggerationi, ipſi ſatis familiari, tribuatur. Nemo enim ſanus ſibi perſuaſerit, univerſam qua late patet Germaniam, ne dicam Daciam, aut Scythiam, Tertulliani ætate Chriſto paruiſſe. Quod vero ad Cypriani locum ſpectat, certo certius eſt S. Martyrem, non de Evangelii prædicatione loqui in ea Epiſtola, ſed de probitate atque integritate Epiſcoporum ſui temporis, quos Novatiani pſeudoepiſcopis opponit; quare cum ait *per omnes provincias, & per urbes ſingulas ordinatos fuiſſe Epiſcopos in ætate antiquos*, & quæ ſequuntur, de iis urbibus intelligit, in quibus Eccleſiæ jam fuerant erectæ: non autem de ſingulis univerſe. Licet enim propoſitio illa generatim ſumatur, tamen, ut a Dialecticæ artis peritis adnotatum fuit, neceſſe eſt aliquando ad hujuſmodi propoſitionum veritatem, ut ſecundum diſtributionem commodam, ſeu rei, de qua ſermo eſt, accomodatam accipiatur: non autem ſecundum diſtributionem integram & perfectam, quæ limitationem omnem excludat. Eadem propemodum ratione explicandus eſſe videtur Lactantii locus in libro de mortibus Perſecutorum Cap. II. ubi ait: *Diſperſi ſunt per omnem terram* (Apoſtoli) *ad Evangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperaverat, & per annos XXV. uſque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates Eccleſiæ fundamen-*

damenta miſerunt. Periodum enim annorum, qua Apoſtoli Evangelicæ prædicationi operam dedere definiens Lactantius, eam quinto ſupra vigeſimum anno circumſcribit, & hoc temporis intervallo eos Eccleſiæ fundamenta jeciſſe tradit *per omnes provincias, & civitates*, ſcilicet per omnes eas provincias, ac civitates, in quibus Chriſti Evangelium annuntiaverant. Niſi quis malit Lactantii propoſitionem univerſaliter moraliter, ut ajunt, accipere, ut de pluribus & celebrioribus provinciis & civitatibus intelligendus ſit, non autem omnino de ſingulis. Is enim in communi hominum ſermone obtinuit uſus, ut quædam univerſe affirmentur, quæ licet exceptionem non minimam patiantur, pro more tamen & conſuetudine ab omnibus ut talia admitti ſolent.

XXIV. Quartum argumentum ſumimus ex finitimarum Eccleſiarum cum Tridentina collatione, quas, ſi quis rem ad veritatis trutinam revocare velit, S. Vigilii Tridentini temporibus, hoc eſt inclinante ſæculo quarto, non multos Epiſcopos habuiſſe comperiet. Quo tempore Tridenti fulgebat Vigilius, Veronenſibus Syagrius, Brixienſibus vero S. Gaudentius præerat. Ante Syagrium autem Veronenſis Eccleſia non plures quam octo Epiſcopos numerat, ſeptem vero Brixienſis ante Gaudentium. Vincentini ad annum CCCLXXXIX., qui Vigilii ætati reſpondet, S. Apollonium ponunt, ante quem quatuor tantum Epiſcopos habent. Eo tempore etiam tres dumtaxat Bergomum numera-

merabat: Sabiona vero, cujus Eccleſia Brixinam poſtmodum translata fuit, prorſus nullum. Quid plura? Ipſamet Aquilejenſis Eccleſia ante S. Chromatium, qui vixit circa annum Æræ Chriſtianæ CCCXC., novem tantum Præſules recenſet. Porro qui fieri potuit, ut Tridentum intra alpium fauces, ac montium juga poſitum, idolorum cultoribus undique circumvallatum, longe remotius a fidei centro, hoc eſt Roma, quam reliquæ civitates; tam mature & fidem recipere, & Eccleſiam erigere potuerit, ut Vigilius decimus nonus ejuſdem Eccleſiæ Præſul dicendus ſit? Vigilii ætate finitimas Eccleſias paucos numeraſſe Epiſcopos diximus, ſi quis rem mature perpendat. Multo enim plures reperiat, qui ad vulgares earum civitatum ſcriptores confugiat. Ii namque tum unius Epiſcopi loco duos numerantes, tum nomina vel temere fingentes, vel ex apocryphis, aut nullius auctoritatis monumentis colligentes, eo rem deduxere, ut quælibet civitas vel a temporibus Apoſtolicis fidem ſe recepiſſe gloriari poſſit, ampliſſimamque ac minime interruptam ſuorum Præſulum ſeriem oſtentare.

(*nota*)

XXV. Diximus quoque, ut hoc obiter moneam, Sabionenſem Eccleſiam ſæculo quarto inclinante nondum conſtitutam fuiſſe, quamquam noverim, vulgo exiſtimari S. Caſſianum, qui Fori-Cornelii martyrium ſubiit, primum illius Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe, quem Hundius in Metropoli Salisburgenſi, Bucelinus Part. I. Germaniæ Sacræ, aliique, ad annum Æræ Vulgaris

garis CCCL. vel CCCLX. revocant. Prudentius enim (hoc eſt antiquior, & quidem probatiſſimus, Caſſiani actorum teſtis) in libro περὶ στεφάνων Hymn. IX. auctor eſt, Caſſianum profeſſione caligraphum fuiſſe, munuſque docendi pueros litteras efformare multo ante quam perſecutio adverſus Chriſtianos orta eſſet, Fori-Cornelii exercuiſſe; nec verbum addit de illius Epiſcopatu, quem pariter reticent cum veteres omnes, qui de S. Caſſiano Martyre ſcripſerunt, tum etiam omnia Martyrologia, in quibus Epiſcopalem dignitatem diligenter exprimi conſueviſſe, ſuperius admonuimus. Quæ porro conſenſio inter Sabionenſem Epiſcopum, & Forocornelienſem ludimagiſtrum? A Paganis e propria ſede ejectum, cum peregrinationis gratia Romam contenderet, Fori-Cornelii conſediſſe ajunt. At quis credat in Italia poſt Conſtantini tempora, quibus Chriſti fides ubique triumphabat, Epiſcopum, & Confeſſorem adeo vili & abjecto officio detineri potuiſſe? Negantis argumenti infirmitatem poſitivo & ajente aliquo roboremus. Poeta anonymus, qui aliquanto poſt IX. ſæculi initium opuſculum ſcripſit de Ordine Comprovincialium Pontificum, a Mabillonio editum pag. 347. Analectorum Veterum, diſertiſſimis verbis tradit, Ingenuinum, qui dumtaxat inclinante VI. ſæculo floruit, primum Sabionenſis Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe:

Hæc ſedes vallis Noricanæ dicta Sebana,
Ingenuinus habens primo quam rexerant almus.

Corrigendos eſſe ex eo opuſculo vulgatos Epiſcopo-

ſcoporum elenchos, recte monet CL. Editor in ſuis ad id Adnotationibus. Sane cum dubius aliquando hærerem circa Brixinenſem Caſſiani Præſulatum, quod quæ ex Prudentii, aliorumque ſilentio difficultas oritur, non mihi ſatis eſſe videretur ad Eccleſiæ illius traditionem penitus evertendam; ut primum monumentum hoc mihi detegere licuit, in eam ſtatim propendere opinionem cœpi, quæ, Caſſiano excluſo, Ingenuinum primum illius Eccleſiæ Epiſcopum ſtatuit. Neque vero auctoritati carminis illius, propria vetuſtate conſpicui, quicquam officit, auctorem a nobis ignorari, *Ipſa enim re, non ſcriptoris nomine* (ut recte ait doctiſſimus Vir Marianus Victorius in Cenſura Tom.IX. Oper. S. Hieronymi) *veritas, aut probatur, aut adulteratur*. His omnibus addendum eſt: ſi Caſſianus Martyr ſtatuatur primus Sabionenſis Epiſcopus, fatendum ſimul eſſe, eam Eccleſiam ante Conſtantinum Magnum conſtitutam fuiſſe; Prudentius enim, qui circa annum Æræ Vulgaris CCCLXXX. floruit, *vetuſti temporis hiſtoriam* vocat Caſſiani martyrium; eodemque teſte S. ille Martyr in ſæva & generali Chriſtianorum perſecutione ſublatus eſt:

Ecce, fidem quatiens tempeſtas ſæva premebat
Plebem dicatam Chriſtianæ gloriæ:

qualis profecto poſt Conſtantini tempora in Italia nulla fuit. Porro enormis lacuna trium ferme ſæculorum in Eccleſia Sabionenſi admittenda eſſet, a Caſſiano ſcilicet ad Ingenuinum, quod fidem omnem excedit.

Quæ

XXVI. Quæ contra ſententiam hanc Brixinenſes afferre poſſunt, duo ferme ſunt, eaque non magni ſane momenti. Primum quidem eſt, in duobus Diplomatibus, altero Ludovici III. anni CMIX., altero Conradi II. anni MXXVII. quæ Gewoldus affert in Notis ad Hundii Metropolim Salisburgenſem pag. 315. & 316. edit. Ratiſponenſ. MDCCXIX., mentionem fieri *Sabianenſis Eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in honore S. Caſſiani Martyris*, itemque *S. Brixinenſis Eccleſiæ in honore SS. Caſſiani Martyris, nec non & Ingenuini Confeſſoris conſtructæ*. Alterum argumentum eſt, ſchiſmaticos Hiſtriæ Epiſcopos, inter quos Ingenuinus noſter, in ſupplici libello, quem Mauritio Imperatori obtulerunt, *deceſſores ſuos* nominare. Non igitur primus fuit Sabionenſis Epiſcopus Ingenuinus (infert Bollandus ad diem V. Februarii in Commentario Hiſtorico §. XXXVIII) ſi deceſſores ſuos memorat, immo nec ſecundus, ſed ſaltem tertius. Ad primum quod attinet, non repeto hic quæ ſuperius notavimus, quam facile nimirum populares errores in hujuſmodi Diplomatibus recipi ſoleant. Illud monuiſſe ſufficiat, nullam Epiſcopatus Caſſiani mentionem neque a Conrado, neque a Ludovico haberi; quare nihil inde elici poteſt, præterquam Cathedrales tum Sabionæ, tum Brixinæ Eccleſias S. illi Martyri olim fuiſſe conſecratas, de quo nulla eſt diſputatio. Quod ad Bollandi illationem ſpectat, ea porro minoris momenti eſt. Deceſſores ſuos nominant ſchiſmatici Epiſcopi in Epiſtola ad Mauritium, non

qui-

quidem ſingillatim, ſed ſimul omnes, ſeu in globo, ut Scholæ loquuntur. Reſpective igitur, ut ajunt, aſſertio illa intelligenda eſt, non vero abſolute, reſpectu ſcilicet eorum Epiſcoporum, qui deceſſores revera in ſuis Eccleſiis habuerant, non autem reſpectu Ingenuini, quem certe primum fuiſſe fatendum eſt, contra vulgarem, recentemque opinionem; cujus ceteroquin teſtem nullum hactenus mihi reperire licuit antiquiorem Bartholomæo Tridentino in opere MS. ſuperius a nobis laudato, quod Romæ vidimus in Bibliotheca Barberina. Hæc cum ita ſint, minime aſſentior pluries jam memorato CL. Bernardo de Rubeis, qui Cap. XX. §. I. Monumentorum Eccleſiæ Aquilejenſis per *partes Italiæ finitimas* Rætias primam, & ſecundam (cui ceteroquin Sabiona accenſebatur) intelligendas eſſe vult in iis D. Ambroſii verbis Epiſt. LXIII. ad Eccleſiam Vercellenſem: *Conficior dolore, quia Eccleſia Domini, quæ eſt in vobis, Sacerdotem adhuc non habet: ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus, hujuſmodi eget officio*. Satius enim, commodiuſque exiſtimaverim (quæ aliorum etiam ſententia fuit) per *partes Italiæ finitimas*, regiones Illyricas intelligere.

XXVII. Vulgaris etiam inde Tridentinorum traditio infirmatur, quod incredibile propemodum videatur, ſi tot ante Vigilium Tridentini Paſtores floruiſſent, quomodo Idolorum cultores ac Pagani tam prope abeſſent a civitate.

Diximus enim ſuperius in valle Anaunia, quæ duodecimo tantum lapide ab urbe diſtat, Siſinnium, Martyrium, & Alexandrum, ſupplicio affectos fuiſſe, quod falſorum numinum cultum inde amovere conati eſſent: diximus S. Vigilio florente Tridentinos cives magnam partem Gentiles adhuc fuiſſe, ipſumque Vigilium pro Chriſti fide a Gentilibus ſuæ diœceſeos lapidibus obrutum. Quis hæc cum fervore eorum temporum, atque incredibili illorum Paſtorum Evangelium dilatandi, Paganoſque ad Chriſti fidem convertendi cupiditate, ſimul conciliare poſſit? Quis credat decem & octo ante Vigilium Antiſtites, tam alte ſtertiſſe, ut Domini vineam per quatuor propemodum ſæcula incultam, ſpiniſque atque urticis undique circumſeptam, miſere ſilveſcere paſſi ſint? Duodecim circiter M.P. Anauniam a Tridento abeſſe dixi, ut teſtatur etiam Pincius initio Lib. VI., & res per ſe ſatis nota eſt; quamvis Vigilius noſter etiam multo eam civitati propiorem faciat, ita enim ait in Epiſt. ad Joannem Conſtantinopolitanum §. II. *Poſitus namque (cui inquilinum eſt Anagnia vocabulum) locus viginti quinque ſtadiis a civitate diviſus, tam per ſpatia, quam natura anguſtis faucibus interclusus*. Si enim ſtadium octava milliarii pars ſit, ut ex Plinio Lib. II. Cap. XXIII. colligitur, paullo plus quam tribus P. M. Anauniam a Tridento divideret Tridentinus Præſul. At *viginti quinque millibus*, hoc eſt paſſuum eo loco legendum eſſe trium Martyrum Acta a Surio edita Tom. III.

die

die XXIX. Maii, oſtendunt. Neque tamen ea diſtantia ad vallem Anauniam, cui nullo modo convenire poteſt, referenda, quod ea Acta faciunt, ſed potius ad locum ipſum, in quo ſancti Martyres paſſi ſunt. Monet enim Pantaleon Bortius, Celſiſſimi Tridentinorum Epiſcopi, ac Principis Vicarius Generalis, Vir antiquitatis Eccleſiaſticæ, optimarumque artium ſtudioſiſſimus, quem honoris cauſſa nomino; viginti quinque circiter P.M. a Tridento diſſitum eſſe locum, nomine *Mechel*, in valle Anaunia, cujus qui finitimi ſunt ruſtici, interfectores fuiſſe trium Martyrum Anaunienſium vetus quædam traditio ferat, de qua Pincius etiam teſtis: ex quo conjicit Vir eruditus in memoratis Surii Actis non *Metho*, ſed *Meclo* legendum eſſe. Lectionem hanc, quamquam ex ingenio excogitatam, tamen ex ſuperius laudato Bartholomæo Tridentino confirmari, adnotavimus in Epiſtola ad V. CL. Ludovicum Antonium Muratorium de Tridentina medii ævi Topographia, ubi fuſius hac de re diſputatum. Quare caſtigandi Daniel Papebrochius in Notis ad Vigilii Acta Tom. V. menſis Junii, Theodoricus Ruinartius in Admonitione in martyrium Siſinnii & ſociorum, Claudius Fleury in Hiſtoria Eccleſiaſtica ad annum CCCXCVII., Samuel Baſnagius in Annal. Eccleſ. Tom. III. ad eundem annum §. V., & alii, qui Vigiliano textu decepti, Anauniam tribus tantum milliariis & uno ſtadio a Tridento diſtare aſſerunt; quibus addendi Natalis Alexander in Synopſi Hiſtor. Eccleſ. V. ſæculi

Digitized by Google

Cap. I. Baronius in Annal. ad an. CCCC. §. IV. Lubinus in Martyrologio Romano Illuſtrato, Lippelous ad diem XXIX. Maii, & alii, ex Surianorum Actuum fide XXV. M. P. eam a Tridento dividentes, quod pariter abſurdum eſt.

XXVIII. Stabilitur tandem ſententia noſtra ex S. Vigilii Actis a PP. Bollandiſtis editis Tom. V. menſis Junii, ex quibus manifeſte colligitur, S. Martyrem in ſerie Tridentinorum Epiſcoporum tertium dumtaxat locum obtinere. Hæc enim ibi leguntur Cap. I. §. I. *Reverſus itaque* (Vigilius) *a ſtudiis ab Athenis, vel urbe Roma* (*vel* pro *&*, familiari ſequioris præſertim ævi ſcriptoribus loquendi more) *in civitate Tridentina reſedit, impleturus propoſitum ſanctæ religionis, Deo, more Apoſtolorum, jam ordinatus dictæ civitatis Epiſcopus a primo tertius*. In Bibliotheca Capitulari Canonicorum Veronenſium MSS. aſſervantur eadem Acta, quæ quamvis a Bollandianis multum verbis diſſideant, re tamen conveniunt, eamque ſententiam ita exprimunt: *Ut dignus in prædicta urbe Pontificatus tertio loco ſuſciperet dignitatem*. Quem locum ſic pariter exhibent Acta, a Donato Fætio poſt Kalendarium Tridentinum in Officio S. Vigilii proprio edita Venetiis anno MDLX. Verum quidem eſt Vigilii Acta quæ proferimus, non omnino ſincera eſſe, quippe quibus multa addita, aliqua mutata, aut detracta ſint. Attamen ad ſelectiora & integriora accedere teſtis eſt Papebrochius, qui in ſuo ad ea Commentario

præ-

Digitized by Google

prævio, hoc de iis fert judicium: *Itaque his omiſſis, ſola prima damus, ſi non omnino primigenia, tamen (excipiendo quædam ſub finem addita, vel mutata, & priores fortaſſis lineas) primigeniis proxima.* Utcumque res habeat, quod attinet ad S. Vigilii geſta nullum neque antiquius, neque ſincerius teſtimonium proferri poteſt; proindeque piaculum eſſe duxerim, qualecumque illud ſit, ab eo recedere, donec ſaltem clarior lux nobis affulgeat. Quare valeant commenta, valeant piorum impoſtorum fraudes, e quibus nullum religioni emolumentum, hiſtoriæ autem detrimenti plurimum promanat; ſtetque inconcuſſa a nobis initio propoſita veritas, hoc eſt Tridentinæ Eccleſiæ primordia non a temporibus Apoſtolicis, ſed poſt dimidium quarti ſæculi repetenda eſſe, ac S. Vigilium, non decimum octavum, aut decimum nonum ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitem eſſe, ſed inter primos referendum.

XXIX. Verum nihil propemodum a nobis huc-uſque actum eſſet, niſi difficultas quædam convelleretur, quam ſatis ſcio fucum non paucis facturam. Refert Pincius initio Lib. I., nonnullos opinatos eſſe, qui a Jovino uſque ad Cyriacum Tridentini Epiſcopi numerantur, eos non Epiſcopos, ſed Sacerdotes tantum fuiſſe. Quam opinionem ex eo vim capere exiſtimat auctor ille, quod apud aliquos ſcriptores, ut ipſe quidem tradit, inveniatur, Jovinum animarum Curatorem dumtaxat ac Presbyterum fuiſſe, Cyriacum vero primum Tridentinæ Ec-

cleſiæ Epiſcopum. Sed quoniam, ut idem aſſirmat, qui ſacros annales ſcripſere, Jovinum primum Tridentinorum Pontificem appellant, Vigilium vero decimum octavum faciunt; ita hæc facillime conciliari poſſe putat ex mitræ uſu. Ait enim in prima Eccleſia Presbyteros, quos Paſtores vocabant, nihil ab Epiſcopis diverſos fuiſſe, niſi quod hi mitra uterentur, illi baculum tantum paſtorale gererent, cum tamen ex antiquis Eccleſiæ inſtitutis Epiſcopi eſſent. Quare ex eo factum ſuſpicatur, ut qui a Jovino uſque ad Cyriacum Tridentinam Eccleſiam rexerunt, quamquam charactere, ac poteſtate Epiſcopis haud fuerint inferiores, quoniam tamen baculo, non mitra uterentur, ideo Epiſcopos non fuiſſe exiſtimatos: Cyriacum vero, quod mitræ ornamento primus ſit decoratus, ideo primum Tridentinorum Epiſcoporum vocatum.

XXX. At nugæ profecto ſunt, eæque vaniſſimæ. Primo quidem qui exiſtimarunt Tridentinos Paſtores a Jovino uſque ad Cyriacum Sacerdotes fuiſſe, quid aliud exiſtimarunt, quam fuiſſe Epiſcopos? Quid enim in prima præſertim Eccleſia *Sacerdotis* nomen cum apud Græcos, tum apud Latinos ſonabat, niſi Epiſcopi, aut Pontificis? *Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem* vocat Damaſum Summum Pontificem Ambroſius Lib. V. Epiſt. XXX. nunc Claſſ. I. Epiſt. XVII. Auctor libri *de dignitate Sacerdotali*, eidem Ambroſio perperam tributi, & S. Jo. Chryſoſtomus in libris *de Sacerdotio* non niſi de ſolis Epiſcopis agunt.

agunt. Sed quid opus eſt loca referre, cum apud veteres Patres, præcipue apud S. Cyprianum, id paſſim obſervari poſſit? Sequiori ætate ad Presbyteros quoque vox translata, quæ prius ſolis fere Epiſcopis tribui ſolita. Hinc Rabanus Maurus Lib. I. de Inſtit. Cler. Cap. V. *Sacerdos*, ait, *vocari poteſt, ſive Epiſcopus ſit, ſive Presbyter*. Adde in Udalriciano Elencho, ſuperius a nobis memorato, eos omnes *Sacerdotes, & Epiſcopos* vocari. Deinde vero quinam ſunt ſcriptores iſti, qui tradunt, Jovinum animarum Curatorem fuiſſe, Cyriacum vero primum Tridentinorum Epiſcopum? Neque enim quiſquam a Pincio laudatur. Sed demus rem ita eſſe, quid aliud ſonat Græcum *Epiſcopi* vocabulum, quam Curatorem, atque Inſpectorem? Quod adeo verum eſt, ut ea de cauſſa etiam Principibus ſæcularibus aliquando tributum ſit, ut Conſtantio, Carolo Magno, Adgaro Regi Angliæ, & Conſtantino, qui *communis Epiſcopus* apud Euſebium vocatur. Quare qui Jovinum animarum curatorem faciunt, illi Epiſcopum etiam agnoſcunt, ut enim recte ait Auguſtinus Lib. XIX. de Civitate Dei Cap. XIX. *Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris. Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens: ergo* ἐπισκοπεῖν *ſi velimus, latine ſuperintendere poſſumus dicere; ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe*. Venio nunc ad mitram, qua primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopos ornatos fuiſſe tradit

ſe tradit Tridentinus Hiſtoriographus, Paſtores vero, aut animarum Curatores non item. Sed unde quæſo eruditionem hanc hauſit? Pergratam ſane rem feciſſet, ſi teſtem aliquem nominatim protuliſſet, cum acerrima ſit inter antiquitatis Eccleſiaſticæ peritos de mitræ uſu concertatio, quibuſdam eum a temporibus uſque Apoſtolicis repetentibus, aliis vero multo recentiorem eſſe contendentibus. Et vero nullam mitræ mentionem fieri inter ornamenta Pontificum apud veteres auctores, qui de Divinis Officiis ſcripſere, aut in Sacramentariis, vel veteribus Liturgiis, a doctiſſimis viris obſervatum eſt, adeo ut vix ante annum milleſimum ea tribuatur Pontificibus & Epiſcopis; primique ſcriptores, qui aliquam ejus mentionem faciunt, ſint Petrus Damiani, Hugo Flaviniacenſis. S. Bernardus, Honorius Auguſtodunenſis, & alii, qui poſt X. ſæculum floruere. Id in cauſſa fuit, cur Onuphrius Panvinius, Hugo Menardus, aliique ſæculo dumtaxat Eccleſiæ X. eum uſum invaluiſſe opinati ſint. Accedit S. Iſidori Hiſpalenſis auctoritas, qui Lib. XIX. Cap. XXXI. Originum, mitræ uſum Epiſcopis aperte negat, ait enim: *Mitra eſt pileum Phrygium caput protegens, quale eſt ornamentum capitis devotarum. Sed pileum virorum eſt, mitra autem feminarum.* At non defuerunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ perſcrutatores ſollertiſſimi, qui mitræ antiquitatem tueri aggreſſi ſunt, eamque validis argumentis propugnarunt. Tot clariſſimorum virorum diſſenſiones facillime componi

poni poſſe putat Jo. Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum Lib. I. Cap. XXIV. §. XIV. ſi dixerimus, mitram quidem, qualis eſt hodie, nuperum ornatum eſſe, qui ante milleſimum Chriſti annum vix fuerit in Eccleſia: negari tamen non poſſe, quin a temporibus Apoſtolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, ſi non omnes, aliqui ſaltem Epiſcopi uſi ſint. Quod ad poſteriora Eccleſiæ ſæcula attinet, aliam difficultatis hujus enodandæ viam init Jo. Mabillonius in Præfatione in Sæculum IV. Benedictinum Part. II. §. CLXXXII. Probat enim mitræ uſum omnibus & ſingulis Epiſcopis non fuiſſe communem, ſed iis dumtaxat, quibus ex Sedis Apoſtolicæ privilegio conceſſum erat. Porro ex duabus hiſce opinionibus utram mavult eligat Pincius, ſe ipſum confodiat, ſuamque ipſe ſententiam deſtruat, neceſſe eſt. Sive enim mitræ uſum apud Epiſcopos ſemper in Eccleſia obtinuiſſe ſtatuimus: & hac ratione Cyriacus Tridentinus Epiſcopus minime primus ea uſus fuerit; ſed præceſſoribus quoque communis fuit, atque adeo ſuis illis animarum Curatoribus, qui revera, ipſo etiam fatente, unum idemque cum Epiſcopis erant. Sive eum X. tantum ſæculo cœpiſſe opinamur: & hoc modo neque Cyriacus, neque qui eum proxime ſequuti ſunt Epiſcopi longiſſimo intervallo, eo ornamento condecorari potuerunt. Quare illud pro certo habeat Pincius baculi ac mitræ diſtinctionem a ſe excogitatam, inter futilia & inania prorſus eſſe ponen-

nendam; atque ineptire omnino dicendi eſſent, qui ea ratione explicanda atque intelligenda eſſe S. Vigilii Acta ſuperius a nobis allata, contenderent. Neque tamen inficias iverim, primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe viros ſacro charactere ab Apoſtolis inſignitos, qui varias regiones peragrantes Chriſti Evangelium promulgaverint, genteſque ad fidem converterint; ac potuiſſe fieri, immo fortaſſe factum fuiſſe, ut eorum aliqui etiam Tridentum appulerint. Sed cum ii certas ſedes minime haberent, perpetuoque labore huc illucque contenderent, ut Evangelium in univerſam terram diffunderent; non magis Epiſcopi Tridentini, quam reliquarum civitatum Paſtores dicendi forent. Quare fatendum omnino eſt, nullo fundamento tot ante Vigilium Tridentinos Præſules recenſeri, veteribus præſertim monumentis, ac ratione ipſa reclamantibus.

XXXI. Hæc longius fortaſſe quam par erat, perſecuti ſumus, tum quod ſatis celebris videretur ea Pincii diſtinctio, tum etiam quod V. CL. Daniel Papebrochius in Notis ad S. Vigilii Acta a ſe edita, eam ita lectoribus proponat, ut neque rejicere, neque approbare videatur. Neque tamen quæ a nobis hactenus in eam rem dicta ſunt, eo ſenſu a quoquam accipi velim, quaſi noſtra ſententia eſſet, primis Eccleſiæ ſæculis nullum inter Epiſcopum, & Presbyterum diſcrimen fuiſſe. Abſit a nobis falſa illa Aerii, & recentiorum Heterodoxorum opinio. Hoc dumtaxat innuere in animo fuit,

ſi Jo-

ſi Jovinus, & qui eum ad Cyriacum uſque ſecuti ſunt, paſtorale baculum acceperunt, ac Tridentinam Eccleſiam adminiſtrarunt, quamquam fortaſse reditibus pinguioribus, & ſede ornatiori caruerint, proindeque aut Paſtores, aut Sacerdotes, aut animarum Curatores, aut etiam Presbyteri nominentur, eos tamen & fuiſse revera Epiſcopos, & vocari debere; ut enim recte Hieronymus ait in Epiſt. CI. ad Evangelum, *Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit.*

XXXII. Sed inquiet hic fortaſse aliquis, nihil obſtare quominus primis Eccleſiæ ſæculis, in tanta hominum, qui Epiſcopatu digni haberentur inopia, a ſolis Presbyteris ſeu Parochis, vel ſi maris Chorepiſcopis, qui tamen dumtaxat Presbyteri erant, Tridentinam Eccleſiam fundatam, ac rectam fuiſse dicamus. Quo modo Japoniorum, & Sinarum Eccleſiæ fundatæ ſunt, & diu etiam ſine Epiſcopis gubernatæ; multæque Novi Orbis Eccleſiæ eadem ratione a ſolis, ut vocant, Miſſionariis, qui & Verbi Divini, & Sacramentorum miniſterio in illis regionibus vacabant, adminiſtratæ fuerunt. At contra eſt. Primo enim quod ad Chorepiſcopos attinet, præterquam quod eorum ordinem circa finem III. ſæculi inſtitutum fuiſse, ex eo probetur; quod Chorepiſcoporum in antiquis Eccleſiæ monumentis ante IV. ſæculi exordium nulla prorſus occurrat memoria;
illud

illud inſuper notandum eſt, Chorepiſcopos fuiſſe Presbyteros aliquo juriſdictionis Epiſcopalis privilegio adauctos, qui in pagis ac vicis Epiſcopi partes gerebant; unde a Ferrando Diacono in Breviatione ſacrorum Canonum Tit. LXXIX., S. Iſidoro Hiſpalenſi in Lib. II. Cap. VI. de Officiis Eccleſiaſticis, Rabano Mauro in Lib. I. Cap. V. de Inſtitutione Clericorum, & aliis, *Epiſcoporum Vicarii* nuncupati ſunt. Porro quis ſibi fingat Epiſcopi Vicarium ubi Epiſcopus nullus ſit? Quis credat Tridentinam Eccleſiam, ab iis gubernatam fuiſſe, qui Eccleſias, quæ in agris erant, adminiſtrabant? Ad de ex Rabano, & Iſidoro locis laudatis, eos a ſolo Epiſcopo civitatis, cui adjacebant, fuiſſe ordinatos, non aliter atque Presbyteri. At Parochi fortaſſe fuerunt primi illi Tridentinorum Paſtores. Demus tales fuiſſe, certe eos ab aliquo Epiſcopo illuc miſſos oportet. Quod ſi res ita habeat, cur non eos potius ab Epiſcopo illo impoſitione manuum Epiſcopali charactere inſignitos fuiſſe dicamus, ut Epiſcopi munia Eccleſiis neceſſaria obire poſſent, ut Confirmationis Sacramentum miniſtrare, ſacrum Chriſma conficere, altaria conſecrare, præcipue vero Sacros Ordines conferre, ut Diaconos, & Presbyteros alios Eccleſiæ ſuæ compararent? Certe Tridentinæ Eccleſiæ rebus male caviſſet Epiſcopus ille, quicumque tandem fuerit, qui Presbyteros tantum ad eam miſiſſet, cum Epiſcopos mittere poſſet; neque enim minori

Digitized by Google

nori pietatis, ac doctrinæ fama primis illis Eccleſiæ temporibus opus erat ut quis Presbyter ordinaretur, quam ut quis conſecraretur Epiſcopus.

XXXIII. Urgeri tamen adhuc poſſet præcipue ex Eccleſiaſtica Scotiæ hiſtoria, ex qua conſtat Scotos a Presbyteris, & Monachis primum ad Chriſtum converſos, & in Chriſtiana religione inſtitutos; illorumque Eccleſias plurium annorum ſpatio ab illis adminiſtratas fuiſſe. Ita enim rem memorat Joannes Fordonus Scotic. Chronic. Lib. III. Cap. VIII. *Ante Palladii adventum* (qui anno CCCCXXX. a Summo Pontifice Epiſcopus ordinatus eſt) *habebant Scoti fidei doctores ac Sacramentorum miniſtratores Presbyteros ſolummodo, vel Monachos, ritum ſequentes Eccleſiæ primitivæ.* Idem teſtantur Joannes Major de geſtis Scotorum Lib.II. Cap. II. Hector Boetius Scotorum Hiſtor. Lib. VI., & alii. Quid igitur obſtat, opponere poſſet aliquis, quominus Chriſtianam fidem eadem ratione etiam apud Tridentinos ſatam fuiſſe dicamus, atque auctam, per Presbyteros ſcilicet, ac viros Apoſtolicos, qui eam Eccleſiam uſque ad Cyriacum gubernaverint? At id nullo negotio refelli poteſt. Quidquid enim ſit de primis rei Chriſtianæ exordiis, primiſque Verbi Divini præconibus apud Scotos, illud conſtat, *Pontificem inter ſe communi ſuffragio ex Monachis, & Culdeis* (hoc eſt Colideis, ſeu Dei cultoribus) ſibi deligere fuiſſe ſolitos, *penes quem divinarum rerum eſſet poteſtas*; ut Hector

Boe-

Boetius loco laudato, & Lib. VII. teſtatur. Porro minime ambigendum eſt, quin Pontifices illi ad vicinarum Eccleſiarum Epiſcopos miſſi fuerint, ut ab iis conſecrarentur. Palladius vero a primis illis diſtinguitur, non quod is primus fuerit apud Scotos Epiſcopus, ſed quod primus a Romano Pontifice ordinatus ſit, atque in Scotiam directus, neque ex Culdeorum collegio ſit aſſumtus, contra vetuſtiſſimum Scotorum morem. Quare manifeſtum eſt, nihil inde colligi poſſe, quo Tridentinam Eccleſiam Apoſtolorum ævo fundatam fuiſſe evincamus, & a Presbyteris, ſeu Parochis adminiſtratam.

XXXIV. His in tanta antiquitatis caligine, quantum per rerum obſcuritatem fieri potuit, enucleatis, inquirendum nunc eſſet, quiſnam ex iis, qui jam exploſi ſunt, Tridentinis Epiſcopis, primus, quiſnam vero ſecundus ordine cenſendus ſit, cum ſatis conſtet, S. Vigilium tertio loco ponendum eſſe. Ac de ſecundo quidem fidenter pronuntiaverim non niſi Abundantio eum locum convenire poſſe, ei nempe, qui Aquilejenſi Concilio ſubſcripſit. Cum enim temporis ratio id evidenter evincat, minime ambigendum eſt, quin proxime ante Vigilium ſit collocandus. De primo major eſt difficultas. Cyriacum primum Tridentinæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe ab aliquibus memoriæ proditum eſſe ait Pincius, idemque affirmat, Jovinum apud ſacrorum annalium ſcriptores, primum Tridentinorum Pontificem appellari. Si teſtes nominatim protuliſſet, judicium ferre liceret, quibus

quibus potior fides habenda eſſet. At eo neminem afferente, ſimulque deficientibus veteribus monumentis omnibus, nihil eſt nobis temere definiendum. Verum quidem eſt, Jovinum ab omnibus, quos hactenus viderim, primum Tridentinorum Præſulum ſtatui. Ita habet Udalricianus Elenchus, idemque teſtatur Bartholomæus; vetuſtiores ſcilicet auctores, qui de Tridentinorum Pontificum ſerie aliquid memoriæ prodiderunt. Quare ſecurius duxerim eam prærogativam Jovino tribuere, cum primorum Evangelii præconum fama ſatis conſpicua ſit, ac ſuſpicari liceat ideo Jovini, non vero Cyriaci nomen vulgo celebratum.

XXXV. Sed numquid nobis perſuaſum erit, quindecim aut ſexdecim poſt Jovinum, vel ſi mavis Cyriacum Epiſcopos, omnino commentitios eſſe, atque incredibili quorumdam temeritate in Epiſcoporum ſeriem invectos? Equidem cum diu multumque hæc mecum reputaſſem, minime aſſerere dubitabam ita prorſus fuiſſe factum; cum præſertim exemplo rem non carere ſatis mihi compertum eſſet. At ſuccurrit poſtea ratio, qua non conficti, & adventitii, ſed potius tranſpoſiti videri poſſint, quæ eſt hujuſmodi. Inter Vigilium, & Agnellum, qui in vulgaribus elenchis quartum & vigeſimum locum obtinet, duo integra ſæcula intercedunt, neque tamen plures quam quinque Epiſcopi in iis numerantur, ſcilicet Agippus, Quartinus, Peregrinus, Gratioſus, & Theodorus. Porro quis credat in tam longo temporis inter-

Intervallo Tridentinæ Eccleſiæ regendæ quinque tantum Præſules electos fuiſſe? Singulos enim quadragenis annis Epiſcopalem ſedem tenuiſſe fateri cogeremur, quod fidem omnem excedit. Quare ſuſpicari licet, plures eorum, qui ante Vigilium poſiti ſunt, ut ſeries cum temporibus Apoſtolicis connecteretur, tranſponendos eſſe, ac poſt Vigilium collocandos. Plures inquam, non omnes; cum quidam temere in duos veluti ſecti ac duplicati videantur, ut Abundantius, Magroninus, Theodorus, ac Guarinus, qui in Udalriciano Elencho *Quartus* nominatur, proindeque non alius videtur eſſe a Quartino Agippi ſucceſſore: quidam vero ex S. Vigilii Actis deſumti videri poſſint, ut Claudius, & qui ei proxime ſuccedit Magnoſius, qui in Udalrici Catalogo *Claudianus*, & *Magorius* appellantur. De Claudiano enim, & Maugurio, ſeu, ut alii legunt, *Magoriano*, germanis fratribus S. Vigilii, in ejuſdem Actis mentio eſt Cap. I. §. VII., unde in Tridentinorum Epiſcoporum ſeriem veriſimillimum eſt perperam irrepſiſſe.

XXXVI. Huic diſputationi finem facere hic debuiſsemus, niſi, cum tam ſæpe Vigilii Tridentini Epiſcopi ac Martyris mentio a nobis facta fuerit, conſentaneum videretur aliquid etiam de ipſius ſcriptis, ac de reliquis ad ejus res geſtas pertinentibus, leviter ſaltem attingere. De eo igitur ita Gennadius in Lib. de Viris Illuſtribus Cap. XXXVII. *Vigilius Epiſcopus ſcripſit ad quendam Simplicianum in laudem Martyrum Libellum,*

Libellum, & Epiſtolam continentem geſta ſui temporis apud Barbaros Martyrum. Bartholomæus legit: *& apud Barbaros martyrium*. Quæ, licet obſcure, innuere tamen videntur Epiſtolam ad Simplicianum de martyrio Siſinnii ac Sociorum, & alteram ejuſdem argumenti ad Joannem Conſtantinopolitanum miſſam: cum nemo neſciat *libri*, ac *libelli* nomine, præcipue apud Patres, epiſtolas aliquando deſignari. Hunc poſtremum non alium eſſe poſſe a S. Joanne Chryſoſtomo inter ſe conſentiunt viri eruditi omnes. Etiam Simplicianum hic memoratum, eum eſſe, qui poſt S. Ambroſium Eccleſiæ Mediolanenſi præfuit, teſtantur idem Bartholomæus in Vita Siſinnii & Sociorum, Pincius Lib. I. de Vitis Pont. Trid., Baronius in Notis ad Martyrol. XXIX. Maii, & XXVI. Junii, & in Annal. Eccleſ. ad annum CCCC. §. II., Joannes Maria Braſichellenſis in Indice librorum expurgandorum pag. 134., Voſſius Lib. II. Cap. X. de Hiſtoricis Latinis, Aubertus Miræus in Notis ad Gennadium Cap. XXXVI. & ſequenti, Ughellus Tom. V. Italiæ Sacræ in Epiſcop. Trident., Daniel Papebrochius in Commentario prævio ad S. Vigilii Acta, & alibi (quamquam in Notis ad eadem Acta, per imprudentiam ſcilicet, S. Ambroſio Vigilium eam Epiſtolam miſiſſe aſſerat) Theodoricus Ruinartius in Admonitione in martyrium Siſinnii & Sociorum, Tillemontius Tom. X. monumentorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nota IV. in Vitam S. Vigilii, Pagius in Critica Baronii Tom. II. ad an. CCCC. §. II., & alii. Refragatur tamen

men Natalis Alexander in Synopſi Hiſtor. Eccleſ. Sæc. V. Cap. I., eaque de cauſſa Baronium etiam arguit. Tota ejus ratio in eo poſita eſt, quod Gennadius de Vigilio dicat, ipſum ſcripſiſſe *ad Simplicianum quendam;* ex quo infert alium ibi indicari a Simpliciano Epiſcopo Mediolanenſi, de quo capite præcedenti cum laude meminerat. At nimis infirma eſt hujuſmodi argumentatio. Gennadius, ut videtur, Vigilii Epiſtolas non legerat. Demus etiam legiſſe, compertum tamen non habuit ad eum Simplicianum, de quo capite proxime antecedenti mentionem fecerat, priorem miſſam eſſe, ideo *ad quendam* dixit. Non eſt igitur cur ea de cauſſa a priori ſententia recedamus; atque vel ob id ſaltem parcendum videbatur Baronio, quod is in Annalibus Eccleſiaſticis ad an. CCCC. §. II., hæc in hanc rem habeat: *Sed cum* (Gennadius) *mentionem habens Simpliciani, non dicat eum Mediolanenſis Eccleſiæ fuiſſe Epiſcopum, ſed quendam, quaſi incertum ejus nominis virum; revocari poſſe videtur in dubium, num hic ille ſit Simplicianus Antiſtes ſucceſſor S. Ambroſii: cum præſertim præcedenti capitulo idem de eodem Mediolanenſi Epiſcopo auctor agat, recenſens edita ab eo ſcripta.* En prævifam a doctiſſimo Annalium Eccleſiaſticorum Parente Critici Galli oppugnationem, quam tamen ille non adeo invictam exiſtimavit, ut ob eam priori conjecturæ valedicendum eſſe putaret, quam his rationibus fultus probat eodem loco. Primo quod Vigilii Epiſtola in codicibus omnibus inſcripta ſit, *ad Simplicianum Epiſcopum*. Secundo quod licet

cet cujus Eccleſiæ Antiſtes fuerit, minime exprimat, tamen quod eum *Patrem* appellet, cum Epiſcopi collegas *fratres* conſueverint nominare; non alium quam Simplicianum, longo ſenio venerandum fuiſſe, facile ſuſpicari liceat: præſertim cum S. Auguſtinus ipſe, jam Epiſcopus, ad eundem Simplicianum ſcribens libros Quæſtionum, eum, licet tunc tantum Presbyterum, *Patrem* appellet. Tertio tandem, quod conſtet auctoritate Paullini in Vita S. Ambroſii, horum Martyrum reliquias mox Mediolanum fuiſſe translatas. His addi poteſt, in confeſſo eſſe apud omnes, inter Ambroſium, Simpliciani, de quo loquimur, alumnum, ac in Epiſcopatu anteceſſorem, & Vigilium, mutuum interceſſiſſe litterarum officium. Huic Alexandri errato facem fortaſſe prætulit Philippus Labbæus in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Vigilio Tapſenſi, qui ob id etiam non quidem Baronium, ſed Miræum *audacia* inſimulat; quaſi vero Miræus omnium primus opinionem illam invexerit, aut eam attingendo, inauditum facinus perpetraverit.

XXXVII. Tradit eodem loco Alexander, Baronium hac in parte ſecutus, Martyres Anaunienſes ann. CCCC. trucidatos fuiſſe, quod ruſtici vallis Anauniæ iniquo animo ferrent Idolorum everſionem Honorii Imperatoris edicto ubique factam. Quod duplici ex capite falſum eſt. Non enim ann. CCCC., ſed ann. CCCXCVII. paſſi ſunt tres Martyres Anaunienſes, ut viri eruditi probant ex his Vigilii verbis: *Dies paſſionis IV. Kal. Junias, feria VI.*; quæ Epocha cum alio anno conciliari

 nequit.

Digitized by Google

nequit. Ex quo error alter manavit, quod ſcilicet a ruſticis necati fuerint, ægre ferentibus idolorum everſionem ab Honorio imperatam; cum Honorii edicta, quibus idola everti juſſit, & ſacrificia prohibuit, anno CCCXCVII. nondum lata eſſent, ut ex Baronio in Annal. Eccleſ. ad an. CCCXCIX. §. LIV., & Dionyſio Gothofredo in Notis ad Codicem Theodoſianum, colligitur, ad annum CCCXCIX. ea referentibus Ad illas Honorii ſanctiones alludere videtur S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus in Serm. II. de S. Alexandro, inter Anecdota CL. Muratorii Tom. IV. pag. 75., ubi hæc leguntur: *Quoties mandavit Deus idolorum ſacrilegia deſtruenda, & nunquam ad hanc partem ſolliciti eſſe voluimus? Semper diſſimulavimus, ſemper ſprevimus. Poſtea nos admonuit Imperiale præceptum. Videte quanta divinitatis ſit derogatio hæc humanæ poteſtatis adjectio*. Non tamen ea de cauſſa Paganos vallis Anauniæ in tres illos ſanctos viros furore percitos fuiſſe vel leviter indicat; ſed, ut habetur Serm. I. de eodem S. Martyre, quod *ejus regionis homines, apud quos Chriſtianum nomen cognitum antea non fuiſſet, adſueto ſacrilegio, quod Luſtrum dicunt, loca vellent univerſa polluere, ac ſancti viri arguerent eos, erroreſque eorum manifeſtanter rationabili caſtigatione convincerent...... Hæc tota cauſſa paſſionis eſt, propter quam morti addicti ſancti viri curſui* (lege *ſui*) *ſimiles eſſe ceteros hortarentur*. Quod cum iis plane conſentit, quæ in ipſorum Actis leguntur. Quare ſi inter Anaunienſes Martyres, & Honorii conſtitutiones aliquid intereſſe velimus, dicendum potius

eſſet,

Digitized by Google

eſſet, Chriſtianum Principem trium Martyrum nece commotum, fama ſcilicet tanti facinoris omnium auribus perſtrepentibus, ac facti immanitatem Chriſtianis omnibus exſecrantibus, ad leges illas ferendas compulſum fuiſſe, quibus in delinquentes capitali pœna animadverti juſſit.

XXXVIII. Ait idem S. Præſul Serm. I., tres illos Martyres ſuis temporibus paſſos eſse: ſe, & auditores ſuos *conſcientia propria illos noviſſe*, atque *oculorum contemplatione ipſorum ſupplicia cognoviſſe*; de Honorii vero edicto, ut de re proxime elapſa, ſermonem ad populum habens, ipſe loquitur: ex quibus legitime inferri poſse videtur, eum Epiſcopalem ſedem tenuiſse jam inde ab anno Æræ Chriſtianæ CCCXCIX., aut certe non multo poſt. At ſi ita ſit, qui fieri potuit, ut Romanæ Synodo ſub Hilaro Papa anno CCCCLXV. celebratæ interfuerit? Nonne fidem omnem excedere videtur, S. Maximum LXX. circiter annos in Epiſcopatu tranſegiſse? Adde in Mediolanenſi Synodo ſub Euſebio anno Æræ Vulgaris CCCCLII. non primo loco poſt Metropolitanum, ſed ſeptimo dumtaxat ſubſcripſiſſe, ex quo colligitur, ſex eo anno illius provinciæ Præſules ipſum ætate anteceſſiſſe. Hic enim mos antiquitus obtinuit, ut etiam Baronius non uno in loco monuit in Annalibus Eccleſiaſticis, ut non ſedium prærogativæ, ſed temporis quo quiſque Epiſcoporum ſedere cœpit, habita ſit ratio; adeo ut qui plures annos ageret in Epiſcopatu, vel Archie-

Digitized by Google

chiepiſcopatu, priorem ſibi in Synodis locum vendicaret, etiamſi alioqui dignitate ſedis eſſet inferior. Ut hæc inter ſe concilientur, ſuſpicari ne poſſumus laudatos Sermones duos non eſſe S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi? Vel potius retenta veteri Gennadii lectione, qui eum Honorio & Theodoſio juniore imperantibus *obiiſſe*, non *floruiſſe* tradit, ut codices omnes MSS. & editi ante Miræum teſtantur; conjiciendum eſt, alium eſſe ab iſto Maximo eum, qui Romano Concilio interfuit? At Taurinenſes tabulæ duos Maximos minime agnoſcunt. Forte loca paullo ante a nobis allata, commode eam interpretationem pati poſſunt, ut S. Epiſcopus de viſis ſe puero, & a ſenioribus ſuæ Eccleſiæ loquatur. Certe idem Maximus (ſi tamen ejuſdem auctoris ſint Sermones omnes a CL. Muratorio editi, ut ſtili ſimilitudo evincere videtur) Serm. IV., qui eſt in Paſcha, Eutychianorum hæreſim, quæ anno dumtaxat Æræ Vulgaris CCCCXLVIII. exorta eſt, ſibi notam fuiſſe indicat, cum de Dei Filio ait: *Salva enim divina proprietate naturæ, naturam in ſe ſuſcepit humanam, non facta* (nota) *confuſione, ſed unitione perfecta.* Neque mirum videri debet, ſcriptorem, qui Honorio imperante floruerit, Romanæ Synodo anni CCCCLXV. ſubſcribentem invenire, quod Honorius anno CCCCXXIII. deceſſerit. Demus enim hoc ipſo anno quadrageſimum circiter ætatis annum numeraſſe Maximum: cum vero Synodo Romanæ ſubſcripſit, octuagenarium plus minus fuiſſe, & florentem ſub Honorio habebimus,

bimus, & adhuc in vivis anno CCCCLXV. Sed ne longius quam par eſt ab incepto digrediamur, nodum hunc eruditis Taurinenſibus ſolvendum relinquimus; ad quos pariter ſpectat S. illius Epiſcopi opera hactenus confuſa ac diſperſa in unum tandem corpus colligere, abſolutamque eorundem editionem procurare.

XXXIX. Quinque librorum *contra Neſtorium & Euthychem* auctorem non eſſe S. Vigilium Tridentinum, poſt Baronium, & Bellarminum, evidentur a multis oſtenſum eſt. Huic errori anſam præbuiſſe videtur Honorius Auguſtodunenſis Lib. II. Cap. XXXVII. de Luminaribus Eccleſiæ, qui quamvis alioquin Gennadium tranſcribat, tamen hoc loco rem mire pervertit, ait enim: *Vigilius Epiſcopus ſcripſit ad Simplicianum in laudem Martyrum libros quinque*. Confundens nempe argumentum Epiſtolarum Vigilii Tridentini cum numero librorum contra Eutychem alterius cujuſdam Vigilii. Editi porro ſunt hi libri nomine S. Vigilii Tridentini Epiſcopi & Martyris a Churterio, & in veteribus Bibliothecis Patrum; quod Pincius avidiſſime arripuit, multiſque verbis in eorum laudes excurrit ſub finem libri primi. Neque tamen ſolus Pincius hunc errorem ſecutus eſt, ſed Lippelous etiam, Haræus, & Leuchtius, Surii breviatores: item Galeſinius in ſuo Martyrologio ad diem XXXI. Januarii, Lipomanus Tom. II. pag. 151. & alii; qui ut putidum anachroniſmum caverent (multo enim poſt Honorii tempora, quo imperante Vigilius noſter floruit, cum Eutychiana, tum

Neſtoriana hæreſis ſunt exortæ) eum ſub Anaſtaſio Imperatore occubuiſſe commenti ſunt. Ceterum Baronius in Notis ad Martyrol. XXVI. Junii, tres Vigilios memoravit, qui auctores haberi poſſint eorum librorum contra Neſtorium & Eutychem, Vigilium ſcilicet Brixienſem, Vigilium Africanum Epiſcopum Tapſenſem, & Vigilium Lactorenſem, qui Concilio Agathenſi in Gallia ſubſcripſit. In Annalibus vero ad an. CCCC. §. XVIII. quartum addidit Vigilium, hoc eſt Vigilium Diaconum, de quo Gennadius in Lib. de Viris Illuſtribus Cap. LI. Ex quo Critici in partes diverſas abjere. Veriſimilior tamen ſententia eſt, ejus operis auctorem eſſe Vigilium Tapſenſem; circa quæ videndus Chiffletius in Vindiciis Operum Vigilii Tapſenſis. Baronii tum Annales, tum Notas in Martyrologium Romanum properantius percurriſſe videtur Franciſcus Maria de Aſte Archiepiſcopus Hydruntinus, qui in ſuis ad idem Martyrologium Animadverſionibus die XXVI. Junii, ſcribere non dubitavit, *Baronium Vigilio Tridentino tribuiſſe libros V. adverſus Eutychem*. Quam immerito id affingatur Annalium Eccleſiaſticorum Parenti, ex his quæ retulimus, ſatis conſtat. Non minus turpiter alucinatus eſt de Aſte aſſerens eodem loco, Pagium in Critica Baronii Tom. II. ad an. CCCC. §. III. in ea ſententia eſſe, ut *Stiliconis Conſulatus*, qui in S. Vigilii Tridentini Actis notatur, additiтius prorſus ſit. Eo enim loco non de Vigilii Actis loquitur doctiſſimus ille ſcriptor, ſed de Actis trium

Mar-

Martyrum Anaunienſium apud Mombritium, & alios, in quibus dicitur, eos morti traditos *Conſule Stilicone*: tantumque abeſt, ut Stiliconis Conſulatus in Vigilii Actis ſignatus, addititius a Pagio pronuntietur, ut potius ex his in Acta Martyrum Anaunienſium perperam irrepſiſſe conjiciat loco ab ipſomet de Aſte laudato. Vincentius Placcius in libro de Scriptoribus Pſeudonymis in Vigilio Martyre, ait libros quinque contra Eutychem a multis etiam Gelaſio Romano Pontifici tributos fuiſſe. At fallitur Vir eruditus, quæſtionemque aliam, quæ cum hac nihil commune habet, ſimul confundit, eam nempe, quæ inter eruditos verſatur circa librum *de duabus in Chriſto naturis contra Neſtorium, & Eutychetem*, quem alii Gelaſio Romano Pontifici, alii Gelaſio Cyziceno Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopo tribuunt. Huic Placcii errori facem prætuliſſe videtur Joannes Dallæus, quem laudat eodem loco.

XL. Ceterum quamvis martyrio potius, quam ſcriptis contra Neſtorium, & Eutychem libris celebris ſit Vigilius noſter, non tamen e ſcriptorum albo prorſus eſt expungendus, tum quod Gennadius, & Honorius, veteres auctores, in libris de Scriptoribus Eccleſiaſticis eum non omittendum eſſe cenſuerint, tum etiam quod duæ ejus Epiſtolæ, altera ad Simplicianum Epiſcopum, altera ad Joannem Conſtantinopolitanum ſincera ac genuina Siſinnii & Sociorum Acta contineant; trium ſcilicet Martyrum, quorum nomen celebratiſſimum eſt in Eccleſia, & apud

veteres

veteres Patres, nempe Auguſtinum Ep. CXXXIX. ad Marcellinum, Paullinum in Vita S. Ambroſii, S. Gaudentium Epiſcopum Brixienſem Serm. XVII., præſertim vero S. Maximum Taurinenſem Epiſcopum ſupra laudatum, qui de illis duos integros ad populum Sermones habuit. Quare mirandum eſt, Natalem Alexandrum, diligentem ceteroquin ſcriptorem, nullam illius mentionem feciſſe inter Eccleſiaſticos Scriptores quarti, aut quinti ſæculi. Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum Lib. VI. Cap X. tres Vigilii Epiſtolas commemorat, diſtinguens nempe eam, quæ eſt ad Joannem Chryſoſtomum a binis illis a Gennadio laudatis, ita enim de eo loquitur: *Hic ad Simplicianum quendam in laudem Martyrum ſcripſit Librum. Item Epiſtolam eorum geſta ſupplicia, & funera ſuo tempore apud Barbaros continentem. Item ad Joannem Chryſoſtomum Epiſtolam prædictorum Martyrum Siſinnii, Martyrii, & Alexandri paſſionem explicantem*. At quæ fides habenda ſit ſcriptori XIV. ſæculi, quove fundamento id aſſeruerit, minime video. Gennadii verba, qui per *libellum ad Simplicianum* nil aliud intellexit quam Epiſtolam ad eundem, de prolixiore quodam tractatu ab eo interpretata fuiſſe videntur: cumque aliunde ſibi notæ eſſent duæ Vigilii Epiſtolæ, perperam tertiam invexit ad Jo. Chryſoſtomum, quæ una eademque eſt cum ſecunda a Gennadio memorata.

XLI. Diximus ſuperius S. Vigilii Tridentini Acta a nobis ſæpius laudata, unicum eſſe antiqui-

tiquitatis monumentum, ex quo illius geſta colligi poſſint; quamquam nos non prætereat in Martyrologiis Adonis, Bedæ, quod a Floro auctum eſt, Uſuardi, Notkeri, in Romano Veteri, ſeu Parvo, ut eum Sollerius vocat, a Rosweydo edito, & in Romano hodierno de eo mentionem fieri. Quippe tam pauca ſunt, quæ in illis commemorantur, ut ſi aliunde lux non affulgeat, res a Vigilio geſtæ denſis tenebris obvolvantur. Animadverſione tamen dignum eſt, quod legitur in Martyrologio Bedæ, a Floro ut videtur additum: *Cum hic quoddam Idolum in quodam loco confregiſſet, in ejus Idoli baſi reſidens, & verbum divinum prædicans, ab incolis loci illius &c.* Quod ſumtum videtur ex Actis ipſis Cap. II. §. VIII. ubi hæc habentur: *Ac reſidens ſuper baſim ſimulacri minutati, circumſtantibus fidenter loquebatur verbum Dei.* Ex quo illorum vetuſtatem dignoſcere licet, cum Florus ille ante Uſuardum IX. ſæculi ſcriptorem vixerit. Addendum hic, non parum ad Acta Vigilii illuſtranda conferre poſſe S. Ambroſii Epiſtolam olim XXIV. Lib. III., nunc XIX. Claſſ. I., quæ ad Vigilium Tridentinum data eſt; ex qua intelligitur quinam fuerit ea tempeſtate Tridentinæ diœceſeos ſtatus atque conditio. Inter opuſcula S. Cypriano perperam attributa legitur *Celſi Epiſtola ad Vigilium Epiſcopum*, quæ nihil eſt aliud, quam Præfatio quædam, ſeu Epiſtola nuncupatoria Celſi cujuſdam ſenis Chriſtiani in *Altercationem Jaſonis & Papiſci*, quod opus ex Græco in Latinum tranſtulerat, & Vi-

Vigilio Epiſcopo nuncupaverat. Poſſumus ne ſuſpicari hunc fuiſſe Vigilium Epiſcopum Tridentinum? Equidem Jacobus Pamelius, & Natalis Alexander in Synopſi Hiſtor. Eccleſ. III. ſæculi Cap. IV. Art. IV. §. X. prorſus veriſimile id eſſe duxerunt. At opponit Maurinus editor Operum S. Cypriani in ejuſdem S. Martyris Vita Cap. XXXVI. Vigilio Tridentino id convenire non poſſe, quandoquidem Celſus Vigilio ſuo de futuro martyrio gratulatur, eumque ait Dei judicio Martyrem deſtinatum fuiſſe, cum mira quadam ratione Epiſcopus eſt conſtitutus: ſæculo autem quarto exeunte in ſumma Eccleſiæ pace viventem Tridentinum Vigilium nemo ſpe, & exſpectatione Martyrem dicere potuit. Quod pariter in cauſſa fuit, cur Guillelmus Caveus in Hiſtoria Litteraria Scriptorum Eccleſiaſt. vigentibus adhuc perſecutionum temporibus, & ante ſuſceptam ab Imperatoribus fidem Chriſtianam, Celſum illum vixiſſe, & ſcripſiſſe cenſuerit.

XLII. At nihil id prorſus videbitur ei, qui in memoriam revocet, quæ a nobis de Martyribus Anaunienſibus, & de ipſo S. Vigilio Tridentino Epiſcopo ſuperius dicta ſunt. Ex iis enim ſatis ſuperque conſtat, etiam in ſumma Eccleſiæ pace, ipſi tamen cum Eccleſiæ hoſtibus confligendum fuiſſe. *Pacis ergo tempore* (inquit 4. Maximus de Martyribus Anaunienſibus loquens Serm. II.) *quo nullus Rex perſecutor urget, Sanctos viros Martyres fecit non publica perſecutio, ſed religioſa devotio;* qua nempe compellebantur

bantur Gentilium ruſticorum, inter quos degebant, nefarias ſuperſtitiones exſecrari, atque oppugnare. S. Ambroſius in Epiſtola paullo ante laudata, hoc unum inculcat, ne ſcilicet Vigilius noſter permitteret, ut ſui Chriſtiani cum Gentilibus matrimonia jungerent, quo *plane ſignificatur*, ut recte Baronius ait, *Gentilibus hominibus ejus confertam fuiſſe diœceſim*. Ejuſdem S. Vigilii ætate nullam fuiſſe in ipſa urbe Tridentina ſacram ædem, quod cives maximam partem Gentiles adhuc eſſent, ſuperius ex Actis collegimus. Teſtantur denique eadem Acta, Anauniam regionem a S. Vigilio ad Chriſtum converſam, primamque in ea Eccleſiam ab eodem fundatam fuiſſe. Nihil igitur mirum eſt, ſi Celſus ille, qui Tridentinæ diœceſeos conditionem optime noverat, de futuro martyrio Vigilio eſt gratulatus; quod omen minime vanum fuiſſe, exitus comprobavit. Id ab inſolita ejus ac repentina ad Epiſcopatum electione portendi affirmat auctor ille his verbis: *Non autem putaveris martyrii tibi, ſecundum præſens votum fidei, gloriam tribui. Tunc inde felicitatis hujus collata dignatio eſt: tunc judicio juſto Dominus elegit deſtinatum Martyrem, cum te exemtum de juſtorum grege, atque aſſumtum ſibi, de inopinato conſtituit altari ſuo Sacerdotem*. Huic ſimile aliquid legitur apud Pontium Diaconum in Vita S. Cypriani, qui pariter fuit in Eccleſiæ pace ad Epiſcopatum evectus. *Quo tunc ardore*, ait §. V., *plebs æſtuans fluctuabat, ſpiritali deſiderio concupiſcens, ut exitus docuit, non tantum Epiſcopum; in eo enim*

quem

quem tunc latenti divinitatis præſagio taliter flagitabat, non ſolummodo Sacerdotem, ſed & futurum etiam Martyrem requirebat. Ceterum præter martyrii augurium, alia quoque ſunt in ea Celſi ad Vigilium Epiſtola, quæ Vigilio Tridentino apprime conveniant. Convenit enim primo, quod Celſus interpretationem ſuam dicare ſe affirmet Sacerdoti *utriuſque linguæ inſtructione fundato*, cum Vigilius, ut ex Actis liquet Cap. I. §. I., *Athenis liberalibus litteris eruditus fuerit*. Convenit ſecundo, quod Celſus *celebri fama ſanctimoniæ* Vigilii, ex altera parte provinciæ Tridentum *perductus* fuerit: ſiquidem in ejus Actis legitur Cap. I. §. II. *Cujus etiam* (Vigilii) *opinio per vicinas civitates efflorebat*; præſertim cum conſtet alios quoque Vigilii fama percitos, ad eum ſeſe recepiſſe, ut Siſinnius, Martyrius, & Alexander, *Viri* (ut in memoratis Actis habetur §. IV.) *natione Cappadoces, de tranſmarinis qui adventantes partibus, aliquantum temporis Mediolani demorati fuerant*; deinde *audita Vigilii virtute*, ut Pincii verbis utar, Tridentum ad eum ſeſe contulerunt. Convenit tandem, quod Celſus Vigilium ſuum *de inopinato Sacerdotem conſtitutum* fuiſſe dicit, poſt *tranſmarinam peregrinationem ad deſtinatum ſibi munus*, *ignarum ac neſcium repente veniſſe*, dimicante enim plebe *quem potius eligeret Epiſcopum*, *quærenti populo ſuo*, *Chriſtum eum inopinatum repente obtuliſſe*; ita *ut prius ſe in Eccleſia Dei Epiſcopum ſtare conſpiceret*, & *ſtuperet*, *quam veniſſe dignoſceretur*; quippe in Vigilii noſtri Actis hæc leguntur Cap. I. §. I. *Reverſus*

itaque

itaque a ſtudiis ab Athenis...... Exiſtens circiter annorum viginti, clamor populi in eum irruit..... Illo autem excuſationem ætatis, atque juventutis ſuæ opponente, quanto magis ſe accuſabat, tanto clamoribus vulgi attollebatur. Quid, quod Vigilius ipſe teſtis eſt; ſe ad Epiſcopalem ſed non ſatis idoneum, atque imparatum aſſumtum fuiſſe? Certe id ex Ambroſii Epiſtola aperte liquet, cujus hoc eſt initium: *Popoſciſti a me inſtitutionis tuæ inſignia, quoniam novus accitus es ad Sacerdotium.* Ita enim interpretor ego vocem illam *novus*, quæ eadem propemodum ſignificatione uſurpatur a Pontio Diacono, loco ſupra a nobis laudato, ubi de S. Cypriano ait: *Ad probationem bonorum operum, ſolum hoc arbitror ſatis eſſe, quod judicio Dei, & plebis favore, ad officium Sacerdotii & Epiſcopatus gradum adhuc neophytus, &, ut putabatur, novellus electus eſt.*

XLIII. Neque cuiquam mirum videri debet, aut a diſciplina illorum temporum prorſus alienum, Vigilium adeo tenera ætate ad Epiſcopatus dignitatem evectum fuiſſe. Quamquam enim receptus Eccleſiæ mos ferret, ut Epiſcopi non niſi matura ætate eligerentur, tamen aliquando ob excellentem pietatis ac doctrinæ famam, etiam juvenibus datus eſt locus; quod exemplis Gregorii Thaumaturgi, & Athenodori confirmari poteſt, qui, ut tradit Euſebius Lib. VI. Cap. XXX. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *admodum juvenes Eccleſiarum in Ponto Epiſcopi fuerunt conſtituti:* Gaudentii præterea Brixienſis Epiſcopi, Vigilii noſtri coætanei, qui in Serm. de Ordinatione

ſui,

ſui, ait ſe *ætatis ipſius immaturæ ad Sacerdotii dignitatem pudore deterritum* fuiſſe; præcipue vero Remigii, qui duos dumtaxat ſupra viginti annos numerabat, quando Remenſis Eccleſiæ Epiſcopus eſt electus, ut tradit Flodoardus Lib. I. Cap. XI. Hiſtoriæ Remenſis. Quam in rem vide quæ in laudatum Sermonem S. Gaudentii adnotavit V. CL. Paullus Galeardus, Canonicus Brixienſis, cui elegantiſſimam, Notiſque luculentiſſimis inſtructam debemus Operum illius S. Epiſcopi editionem. Hæc a nobis ideo adnotata ſunt, ut Tillemontio credibilior redderetur Vigilii noſtri circa vigeſimum ætatis annum conſecratio, cum is Tom. X. Monumentorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Nota I. in Vitam ejuſdem Antiſtitis, nullam quod ad hanc rem attinet Actis illius fidem ſe habere profiteatur. Minus incredibile videatur, Vigilium alienigenam & peregrinum, neque ex proprio Clero a Tridentinis Epiſcopum electum. Idem a Veronenſibus præſtitum erga S. Zenonem, qui Africanum fuiſſe probabile admodum eſt. Circa eadem tempora Fortunatianum Aquilejenſem Epiſcopum Afrum fuiſſe Hieronymus teſtatur. Donatus itidem Afer Mediolanenſis Eccleſiæ Presbyter fuit poſt Ambroſii obitum, ut ex Paullino in hujus Vita §. LIV. diſcimus. Animadverſionem hanc eruditiſſimis Ballerinis Fratribus debemus in Prolegomenis Zenonianis Diſſert. III. Cap. I. §. I. quo loco ſcite ab ipſis adnotatum fuit, per id tempus Epiſcopos ex alienis provinciis dari ſolitos, quod Vigilii noſtri electione confirmatur.

XLIV.

XLIV. Sub Stiliconis Conſulatu paſſum eſſe S. Vigilium Tridentinum teſtantur ad unum omnes, in primis vero Acta Cap. II. §. XIII. Sed cum Faſti Conſulares duos Stiliconis Conſulatus memorent, primum qui in annum ſæcularem CCCC., ſecundum vero qui in annum CCCCV. incidit, dubium eſt inter eruditos ad quem referri debeat Vigilii obitus. Cum tamen in iis non legatur, Stilicone II., veriſimilius duxerim cum Papebrochio, Vigilium anno ſæculari paſſum eſſe; præſertim cum nulla cauſſa ſit, cur ea mors uſque ad annum CCCCV. differatur. Quot annos in Epiſcopatu egerit, quodve ætatis anno martyrio coronatus fuerit, difficillimum eſt definire. V. CL. Joannes Mabillonius in Præf. in Sæcul. V. Benedictinum §. XCIII., teſtatur codicem MS. perantiquum ſibi a CL. Obrechto oſtenſum fuiſſe, in quo Vigilii Acta continebantur, *quæ bona nota* ſibi viderentur. In his autem ſub finem hæc de Vigilio: *Qui egit Epiſcopatum in urbe Tridentina XII. annos, Stilicone Conſule*. Si nullus his verbis error ſubſit, cum ex Actis conſtet, vicenarium ad Epiſcopatum aſſumtum fuiſſe, fidenter pronuntiare poſſemus duos ſupra triginta annos numeraſſe Vigilium, quando pro Chriſto ſanguinem fudit, duodecim nempe annis additis ad eos, quos numerabat cum Epiſcopalem ſedem obtinuit. Ex quo pariter an. CCCLXXXVIII. Epiſcopum creatum fuiſſe concludi poſſet, ſi quidem anno CCCC. eum paſſum dicamus. Acta Vigiliana a Fætio edita, narrant eum

annos XX. in Epiſcopatu tranſegiſſe, quæ ſe-cuti videntur Surii breviatores Lippelous, & Leuchtius, aliique. Id ſi aliquo fundamento ni-teretur, cum Vigilius, ut diximus, anno XX. ætatis ſuæ fuerit ad Epiſcopatum evectus; & aliunde conſtet Abundantium ſaltem uſque ad annum CCCLXXXI. eam ſedem tenuiſſe (interfuit enim eo anno Aquilejenſi Synodo) dicendum eſſet, Vigilium non primo, ſed ſe-cundo Stiliconis Conſulatu obiiſſe, anno vide-licet ætatis ſuæ XL.: Abundantium autem uſ-que ad annum CCCLXXXV. Tridentinæ Ec-cleſiæ præfuiſſe, quo anno S. Vigilius ei fuerit ſuffectus. Pincius cum neutra harum opinio-num conſentit, quippe qui initio Lib. I. ait Vi-gilium anno Æræ Chriſtianæ CCCLXXXIII. Aſterio ſucceſſiſſe; quo poſito fundamento, de-cem & ſeptem Epiſcopatus anni ei tribuuntur ſi primo Stiliconis Conſulatu occubuiſſe dica-tur, duo vero & viginti ſi ſecundo. In hac ta-men re Obrechtinis Actis, utpote vetuſtioribus adhærendum eſſe putaverim, cum certiſſimum ſit ea, quæ Fætius edidit, eo præcipue loco, turpiſſime interpolata fuiſſe. Ex his omnibus li-quet, Nourrii calculos ad Ambroſii Epiſt. XIX. minus certos eſſe. Cum enim prima Epiſtolæ illius verba indicare videantur datam eam eſſe ſtatim poſt Vigilii Tridentini ordinationem: vi-ginti vero annos in Epiſcopatu Vigilio tribuat Nourrius, paſſumque ſtatuat ſecundo Stilico-nis Conſulatu; inde tutum ſibi inferre exiſtimat in annum CCCLXXXV. ejuſdem Præſulis or-

dina-

dinationem incidiſſe, proindeque Epiſtolam multo ante annum CCCLXXXVIII. ab Ambroſio ſcriptam fuiſſe, quod tamen penitus corruit. Neque me movet, quod idem doctiſſimus Vir e veſtigio ſubdit, Tridentinum Epiſcopum a Mediolanenſi in ea admoneri, ne pateretur fideles cum infidelibus inire conjugia, quæ ut efficacius prohibeat, multa ex ſacris libris affert, præcipue vero hiſtoriam Samſonis, quam univerſam perſequitur, prolixiuſque exaggerat; nulla interim mentione facta legis a Theodoſio eodem anno CCCLXXXVIII. die XXIX. Feb. latæ, qua Chriſtianis ac Judæis inter ſe matrimonio coeuntibus pœna adulterii, hoc eſt capitalis, indicebatur, quæque proinde tam apta erat ad argumentum, de quo agebat Ambroſius; quare Epiſtolam illam ante prædictam legem, prædictumque annum ſcriptam fuiſſe colligit. Nihil inquam me movet argumentum hujuſmodi. Cum Eccleſiaſtico enim viro agens Ambroſius, Eccleſiaſticus & ipſe vir, ſatius duxit, inſuper habitis ſæcularium Principum juſſionibus, ſacrarum litterarum teſtimoniis rem urgere, ſententiamque ſuam comprobare, ne videlicet ad humana placita confugiens, derogare quodammodo videretur Divinarum Scripturarum auctoritati. Ut ſilentio præteream, promulgatæ legis, adeoque omnibus notæ, ſupervacaneam videri commemorationem; quod certe in cauſſa eſſe potuit, cur nulla ab Ambroſio ejuſdem facta ſit mentio. De die martyrii certius aliquid conſtitui poteſt, quod tum Obre-

chtina, tum Fætiana Acta cum paſſum tradant *VI. Kal. Julias;* quod non ſatis advertiſſe videtur Papebrochius, qui in præmiſſo Commentario ait: *Diem martyrii Acta nulla exprimunt*. Equidem eo die tum in Martyrologiis, tum in Tridentina Eccleſia Sancti ejuſdem Martyris memoria colitur.

XLV. Lapidum imbre a Randenenſibus exanimato Vigilio, dum ejus cadaver Tridentum deferretur, Brixienſes vi, atque armis obviam eſſe factos, ut ſacratiſſimum ejus corpus eriperent, tradunt Acta Cap. II. §. X. *Quibus Tridentini reluctantes, dato inſuper pro benedictione quodam vaſe, ſancti viri corpus ſanctiſſimum deducentes &c. Pro redemtione* legendum eſſe, ex his Pincii (qui vetuſta hujus Sancti Acta legerat) in hanc rem verbis, primo ſuſpicabar: *Quod agre ferentes Tridentini, bello haud pares, conſulto agunt, conveniuntque, & vaſe argenteo Pontificem ſuum redimunt*. At *benedictionis* vocabulum pro dono, ſeu munere hic accipi, mihi magis probatur. Ita Petrus Damiani Lib. II. Epiſt. XIV. de Preſbytero loquens: *Avarus & tenax, nunquam benedictionem mulierculæ, vel ex his quæ ipſa detulerat porrigebat*. Qua ſignificatione etiam ab antiquioribus Patribus, ut ab Hieronymo Epiſt. CXXXII. ad Vitalem, aliiſque uſurpatur, ad illud Geneſeos Cap. XXXIII. v. XI. alludentibus: *Suſcipe benedictionem, quam attuli tibi;* quo loco munuſculum intelligitur. In Actis Fætianis Brixienſes a Tridentinis in hoc conflictu vi, non donis repulſos fuiſſe legitur. Scilicet magnam nominis

minis jacturam a Tridentinis fieri exiſtimarunt interpolatores, ſi ex illo cum Brixienſibus certamine victores non abiiſent. Bartholomæus Tridentinus hæc addit in Vita S. Vigilii: *Interfectores vero ejus vindicta Dei in tantum eſt proſecuta, ut cunctis fierent odioſi; ita ut uſque hodie apud Bergamum, ubi ejus Eccleſia in monte juxta Caſtrum ſita eſt, Epiſcopus benedictionem aliquibus ſubtrahat, eo quod ex interfectorum proſapia fuiſſe referantur.* Quæ in quædam Vigilii Acta irrepſerunt. Martinus Antonius Guerrinus Canonicus Bergomenſis in *Synopſi rerum, & temporum Eccleſiæ Bergomenſis* pag. 17. fidenter ſane hæc *ad fabulas relegat*. Scilicet quod Bergomenſibus ſuis minus faverent. Nullum enim ab eo argumentum ibi adducitur, cur ea confiєta habeantur: nam quod Papebrochius Acta Colonienſia, quibus pannus ille aſſutus fuit, minus ſincera pronuntiet, id quidem Actorum illorum fidei, nequaquam vero Bartholomæi noſtri (ex quo uno ea notitia promanaſſe videtur) auctoritati derogare poteſt. Uſum hujuſmodi hodie Bergomi penitus evanuiſſe, libenter conceſſerim. At Bartholomæo Tridentino vivente, & ſcribente, minime obtinuiſſe; atque adeo Scriptorem noſtrum tam turpiter mentitum eſſe, de re præſertim, cujus palam ab omnibus falſi argui poterat, ægre admodum mihi perſuaſerim.

XLIV. In iiſdem Colonienſibus Actis, & præterea apud Bartholomæum, additamentum hujuſmodi legitur in fine: *Dum autem S. Vigilius his & aliis miraculis clareſceret, Theodoſius ſuæ Ec-*

F 3 *cleſiæ*

Digitized by Google

cleſia vallem Lagorinam (Barthol. *Lagarinam*) *cum Urſinico contulit*. Ad quem locum ita Papebrochius: „ Prima donatio a Theodoſio Imperato- „ re facta eſſe poteſt Eccleſiæ Tridentinæ vi- „ vente adhuc Vigilio, cum anno CCCXCIV. „ Theodoſius Imp. Mediolani eſſet, ubi mox „ anno ſequenti obiit. *Vallis* autem *Lagarina* „ hic appellatur, vulgo *Val di Leder*, ut forte „ legendum ſit *Ladarına*, trans Sarcam, & Be- „ nacum. *Urſinicum* non habent tabulæ „ Tot hic errata ſunt, quot ſententiæ. Primo quidem Theodoſii Imperatoris donatio non modo ficta eſt, ſed etiam ridenda. Hoſpes ſit oportet in hiſtoria Romana, qui hujuſmodi donationes, quibus in alicujus regionis homines juriſdictio tribuitur, a primis illis Imperatoribus factas, pro veris habeat. Satis enim conſtat morem illum, a Septentrionalibus populis invectum, tam contrarium fuiſſe Romanorum inſtitutis, quam quod maxime; neque enim Imperatoribus, hoc eſt Reipublicæ cuſtodibus, facultas erat aliis pro libidine tradendi, quæ in jus poteſtatemque Populi Romani devenerant: ut prorſus mirandum ſit, acutæ naris hominem, adeo facile hæc ſibi venditari paſſum fuiſſe. *Lagarinam* vallem, cujus Comes Ragilo a Paullo Diacono memoratur Lib. III. Cap. IX. de geſtis Langobardorum, in vallem *Ladarinam*, vulgo *Val di Leder*, transformat, perperam prorſus; diverſæ enim valles ſunt, diverſis dominis parentes. Poſtremo negat *Urſinicum* apparere in Tabulis. At ſi Magini Italiam vel leviter inſpexiſſet Tab. XXII.

XXII. & XXXI. ad lævam Atheſis, inter Roboretum & Veronam, villulam inveniſſet nomine *Oſſenigo*, quæ eadem eſt cum *Urſinico* in Actis illis memorato. Sed de his alibi. Interim moneo ex hoc futili Actorum additamento opinionem in vulgus irrepſiſſe, Theodoſium Imperatorem Tridentinæ Eccleſiæ maximum ornamentum fuiſſe, primumque qui ejus Præſules juriſdictionum prærogativa inſignes voluerit; quæ fabella tum ſcriptorum calamo, tum etiam picturis celebrata eſt. Tridenti enim in Caſtro ubi Princeps reſidet, ſub Theodoſii Imp. imagine, quæ ibi una cum veteribus illius Eccleſiæ Epiſcopis repræſentatur, hujuſmodi habetur Inſcriptio: THEODOSIUS MAJOR IMP. PRIMUS FUNDATOR ECCLESIÆ.

XLVII. Non prius manum de tabula tollam, quam leviter ſaltem attigero ſalebroſam quæſtionem illam, cui videlicet Metropolitæ, Aquilejenſi, an Mediolanenſi Tridentina Eccleſia quarto ſæculo attribueretur; eo enim inclinante tum Eccleſiæ Mediolanenſis ſub Ambroſio, tum Aquilejenſis ſub Valeriano Metropoliticum jus emerſiſſe doctorum virorum ſententia eſt. Si Vigilii Acta audiamus, Aquilejenſi Metropolitæ ſubjiciebatur Tridentinus Epiſcopus, in his enim Cap. I. §. II. hæc leguntur: *Poſt hæc invitatus Epiſcopus Aquilejenſis Eccleſia* (Valerianus) *B. Vigilium extra muros civitatis Tridentinæ, ad eandem ſedem gubernandam, conſecravit Epiſcopum*. Nemo enim eſt qui neſciat Suffraganeorum Epiſcoporum conſecrationem inter [illegible]

tropolitanorum jura præcipue recenſeri. At multa ſunt, quæ evincere videntur, Tridentinam Eccleſiam Mediolanenſi ea ætate paruiſſe. Vigilius enim creatus Epiſcopus, non id per litteras Aquilejenſi Antiſtiti, ſed Mediolanenſi, hoc eſt D. Ambroſio, ſignificat, poſcitque ab eo *inſtitutionis ſuæ inſignia, quoniam novus accitus* fuerat *ad Sacerdotium*. Quod patet ex Ambroſii Epiſtola ad Vigilium Tridentinum. Deinde vero Vigilius ipſe Anaunienſium Martyrum Siſinii, Martyrii, & Alexandri glorioſam necem Simpliciano in Ambroſii locum ſuffecto per litteras ſtatim nuntiat, *Venerabilem Patrem* vocat initio epiſtolæ, eumque in fine ſalutat *ſpeciali ſervitio:* cum tamen in alia ad Jo. Chryſoſtomum ejuſdem argumenti epiſtola, *Fratrem* dumtaxat, ac *Fratrem cariſſimum* illum appellet. Ex Paullino item diſcimus in Vita S. Ambroſii, eorundem Martyrum reliquias ad eundem Simplicianum a Vigilio miſſas fuiſſe. Quæ omnia indicio ſunt, Tridentinam Eccleſiam S. Vigilii ætate nullum agnoviſſe Metropolitam præter Mediolanenſem; ac Tillemontii opinio inde confirmari poſſe videtur, qui Tom. X. Monumentorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Notis ad Vitam S. Vigilii ſuſpicatur, aut Mediolanenſis Metropolitani vices egiſſe Valerianum, ſi quidem Vigilium conſecravit Epiſcopum: aut Vigilii Acta interpolata fuiſſe a quopiam, qui ſequiori ætate, cum ſcilicet Tridentina Eccleſia Aquilejenſi parebat, floruerit.

XLVIII. Sed argumenta hujuſmodi minime com-

Digitized by Google

commoveri ſe paſſus eſt V. CL. Bernardus Maria de Rubeis, quominus ſuo Aquilejenſi Metropolitæ Tridentinam Eccleſiam adjudicaret. Hæc enim in hanc rem habet Monumentorum Eccleſiæ Aquilejenſis Cap. IX. § VI. „Non adeo peremtoria hæc nos argumenta judicamus, ut Vigilii conſecrationem non peregerit Valerianus, proprio munere officioque fungens. Cur enim Ambroſius inſtitutionis epiſtolam non ſcripſerit Vigilio, qui eam poſtulaverat? *Popoſciſti*, inquit, *a me inſtitutionis tuæ inſignia*. Ut peteret autem novus Epiſcopus quam optabat inſtitutionem, non auctoritas Ambroſii ex jure Metropolitico promanans impellebat, ſed fulgentiſſima ſanctitatis, & doctrinæ claritas. Cur etiam *Patrem* Vigilius non appellaverit Simplicianum, tametſi veluti Metropolitam ſuum non coleret, in quo nondum Epiſcopo Ambroſius ipſe *& veteris affectum amicitiæ, & quod plus eſt Paternæ gratiæ amorem recognoſcebat*, ut in ejus legimus Epiſt. XXXVII. in editione Nourriana? Eoque vel magis, quod Ambroſio ſucceſſit ipſe jam *ævi maturus*, teſte Paullino in ejuſdem Ambroſii Vita. Quod vero Simpliciano Metropolitæ Mediolanenſi, glorioſam Martyrum paſſionem ſolicitus referat, cauſſam proferunt eorum Acta; ubi legimus, eos natione *Cappadoces Mediolanum veniſſe, & ibi cum S. Ambroſio* (deceſſore Simpliciani) *per aliquot tempus commoratos eſſe*: ac demum Tridentum profectos, initiatumque Siſinnium a

„Vi-

„ Vigilio *Diaconum*, Martyrium *Lectorem*, & „ Alexandrum *Oſtiarium*. Par igitur erat, ut „ certiores fierent Mediolanenſes de illorum „ paſſione, quos olim habuerant concives. „ Hinc etiam ſimili permotus ratione Vigilius „ ad Jo. Chryſoſtomum dedit Epiſtolam, qua „ Græcos homines in valle Anaunia (verna„ cule *Val di Non*) in agro Tridentino marty„ rii palma inſignitos, Græciæ notos ac illu„ ſtres redderet. Hæc in utramque partem di„ ſputare libuit, cum definiri minime queat, „ an Aquilejenſi, an potius Mediolanenſi E„ piſcopo jus Metropoliticum hoc ævo in Ec„ cleſiam Tridentinam conveniret.

XLIX. Scrupulum iniicere poſſet Aquilejenſis Synodus anno Æræ Vulgaris CCCLXXXI. ſub Valeriano Epiſcopo congregata, in qua S. Ambroſius præfuit, primaſque tenuit: ex quo inferri poſſe videtur, Aquilejenſem Epiſcopum non modo tunc temporis nullo Metropolitico jure fuiſſe condecoratum, verum etiam Mediolanenſi vel ipſum paruiſſe. At idem doctiſſimus Vir tum eodem Cap. IX. §. II. & III. tum Cap. XX. §. II. luculenter probat, Concilium illud inter Provincialia, quæ ſub uno Provinciæ Metropolitano habentur, numerari minime poſſe, proindeque inter Synodos fere Generales in Occidente iis temporibus frequentius convocatas, locum habere. D. Ambroſium os quidem, ac linguam ejuſdem Concilii fuiſſe; minime tamen in eo jus Metropoliticum exercuiſſe. Tandemque in Valeriano Præſidentiæ & Metropo-

litica

liticæ auctoritatis indicia apertiſſima ex ipſis Concilii Actis evidenter comprobari. Quare nihil propemodum obſtaret, quominus ejus ſententiæ lubens ſubſcriberem, incertum ſcilicet eſſe, num Tridentina Eccleſia quarto Æræ Chriſtianæ ſæculo Mediolanenſi, an Aquilejenſi Metropolitæ pareret, niſi illud me vehementer ad opinionem Mediolanenſibus faventem inclinaret, quod eodem quarto ſæculo Venetiæ Eccleſiæ (in qua provincia Tridentum quoque, ut ex Ptolemæo Lib. III. Cap. I. liquet, continebatur) Mediolanenſi Metropolitæ ſubjiciebantur. Id patet ex Veronenſibus, qui in Eccleſiaſticis judiciis quotieſcumque proprium Præſulem gravabantur, ejuſque ſententiam declinare volebant, ad Mediolanenſem, non ad Aquilejenſem Metropolitam confugiebant; ut videre eſt in cauſſa Indiciæ virginis Deo dicatæ, de qua S. Ambroſius Epiſt. V., quam S. Zeno Veronenſis Epiſcopus prius probaverat, propriaque ſanctificaverat benedictione. Qua in cauſſa cum Syagrius Zenonis ſucceſſor minus prudenter ſe geſſiſſet, Ambroſius eum reprehendit, conſilioque Conſacerdotum adhibito, ſententiam ipſe ſuam protulit. Nulla porro apparet ratio, cur a communi Eccleſiarum Venetiæ conditione Tridentina ammoveatur. Illud certo conſtat, circa ſæculi V. dimidium Aquilejenſi jam ſubjectum fuiſſe Tridentinum Epiſcopum: quod ex eo primum colligitur, quod in Mediolanenſi Synodo ab Euſebio ejus urbis Antiſtite convocata anno CCCCLII., ad quam cun-

Digitized by Google

cuncti ferme illius Eccleſiæ Suffraganei convenerant, nec Tridentinus, nec totius Venetiæ Epiſcopus ullus appareat; ut videre eſt in Epiſtola ipſius Euſebii ad Leonem Magnum, quæ inter hujus S. Pontificis Opera legitur, quæque ſubſcriptiones continet Epiſcoporum omnium, qui ei Concilio interfuerant; Deinde vero ipſemet S. Leo Magnus in Epiſt. LXXXV. ad Septimium Altinatem Epiſcopum, *ad Metropolitanum Epiſcopum provinciæ Venetiæ* ſcripta ſe direxiſſe ait. Aquilejenſem Antiſtitem ſignificans; Epiſt. vero LXXXVI., quæ eſt ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum in quibuſdam codicibus *ad Metropolitanum Venetiæ* inſcribitur, proindeque Aquilejenſi Metropolitæ ſimul cum ceteris Venetiæ Epiſcopis jam tum ſubjectum fuiſſe Tridentinum fatendum eſt; ſub quo etiamnum perſeverat. Quare merito exſibilandi, qui inter Salisburgenſis Archiepiſcopi Suffraganeos inſigni alucinatione Tridentinum quoque Epiſcopum memorant, ut Petrus Bertius Lib. III. Comment. rer. Germanic. in *Salisburgo*, Ludovicus Morerius in Lexico Hiſtorico in v. *Tridentum*, Scriptor alius Gallicus in libro cui titulus: *Les Souverains du Monde* Tom. I. in Archiep. Salisburg., aliique.

L. Hæc ſunt, quæ in tanta rerum ac temporum obſcuritate de Tridentinæ Eccleſiæ exordiis, primiſque ejuſdem Epiſcopis dicere conſtitueramus, non receptæ paſſim opinionis præjudicia ſecuti, ſed re ad hiſtoriæ regulas, rectæque rationis normam exacta. Neque eſt, quod

quod quis de Tridentina Eccleſia nos peſſime meritos eſſe clamet, quod tribus ferme ſæculis juniorem eam eſſe, quam vulgo creditur, oſtendere conati ſimus. Ea enim conſtans mihi ac perpetua ſententia fuit, commentitios honores etiam veris officere; infirmitatisque haud leve indicium eſſe, antiquitatis laudem ex fabulis aucupari. Tolerabile olim ac venia dignum videri potuit infirmis opinionibus adhærere; tum videlicet, cum poſt diuturnum litterarum ſilentium bonæ artes coli cœperunt, ac quodammodo balbutire. At nunc in tanta ætatis noſtræ luce, fugatis undique inſulſis anilibuſque commentis, nonne dementiæ propemodum ſimile videatur veteribus adhuc glandibus delectari? Non eget cujuſquam mendaciis Tridentina Eccleſia ut ſplendorem ſuum tueatur, quæ tum Martyrum coronis, tum Præſulum ſanctitate atque doctrina, tum etiam vetuſtate cum reliquis ſibi finitimis certare poteſt: ac videant quæſo qua ratione ejus honori conſulant, qui ipſius famam atque exiſtimationem ex quorumdam fabulatorum deliramentis amplificare nituntur? Mihi certe de illa benemerendi ea ratio nunquam arriſit, neque arridere iis poſſe unquam judico, qui in eamdem injurii, ac contumelioſi eſſe nolint. Quocirca, quamquam non adeo deſipiam, ut exiſtimem, laborem hunc meum omnibus probatum iri, iis tamen pergratum fore confido, qui de veritate potius, quam de antiquitate gloriantur.

In

In primos Eccleſiæ Tridentinæ Præſules ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, Divinatio uſque ad Agnellum, iis nominibus retentis, quæ ſunt in Udalriciano Elencho, utpote antiquiori.

JOVINUS (ſeu) CYRIACUS
ABUNDANTIUS
VIGILIUS
ASPIDUS
SAMBATIUS (Aliis *Lambuccius*, & *Sambutius*)
VALENTINUS
GENIALIS
FIDELIS (Aliis *Felix*)
VALERIUS
PROBUS
MONTANUS
ASTERUS (Aliis *Aſterius*)
EUGYPIUS (Aliis *Agippus*, *Regippus*, & *Rugippus*)
QUARTINUS
PEREGRINUS
GRATISMUS (Aliis *Gratioſus*)
ADEODATUS (Aliis græce *Theodorus*, & *Theodotus*.)
AGNELLUS.

F I N I S.

Digitized by Google

E R R A T A

In hac Diſſertatione corrigenda.

In Epiſt. Dedic. ſub finem *commentatio*, lege *commentario*. In Conſpectu Differt. §. XLIV. *Nourii*, lege *Nourrii*. *Pag.* 2. *lin.* 23. *lege* alucinatus. *Pag.* 14. *lin.* 2. *lege* cum. *Pag.* 15. *lin.* 16. *lege* nuncupati. *Pag. ead. lin.* 25. *lege* nomina. *Pag.* 22. *lin.* 13. *lege* partim. *Pag.* 28. *lin.* 27. *lege* leviter. *Pag.* 36. *lin.* 2. *lege* quave. *Pag.* 59. *lin.* 17. *lege* ſi mavis. *Pag.* 71. *lin.* 10. *lege* evidenter. *Pag.* 85. *lin.* 29. *lege* XLVI. *Pag.* 92. *lin.* 7. *poſt* interfuerant, *adde punctum*.

Digitized by Google

LIBRI STAMPATI

Da Domenico Tabacco.

Proſperi Alpini de Præſagienda Vita & Morte Ægrotantium. 4. 1735. *Cart. fin.* L. 6. *corſiva*. L. 5 : ---
Panegirici ſopra li Miſterj di N. S. del P. Nicolò Di Dyone Capuccino 4. 1740. L. 3 : 10
—— Sopra li Miſterj della SS. Vergine del detto 4. 1735. L. 3 : 10
Quareſimale del P. Du Fay De la Vallà, della Comp. di Gesù. 4. 1741. L. 5 : ---
Storia e Ragione d'ogni Poeſia di Franceſco Saverio Quadrio, della Comp. di G. 4. 1739. L. 6 : ---
Prerogative e Privilegj della Città di Meſſina. 4. 1733. L. 4 : ---
Il Filalete Dialogo. In dieci giornate. 8. 2. vol. 1738. L. 7 : ---
Notte Compendioſe ſopra le dieci giornate del Filalete. 8. 2. vol. L. 2 : 10
Difeſa delle Profezie della Relig. Criſt. Opera del P. Balto della Comp. di G. *contra* Ugone Grozio e Ricardo Simon. 8. vol. 3. 1742. L. 6 : ---
Cantelio de Romana Republica. 8. fig. 1741. L. 5 : ---
Penſiero della Morte. 8. 1743. L. 1 : 10
Lettere di Atromo Traſeomaco Calabreſe. 8. 1741. L. 1 : 10
Storia delle Rivoluzioni della Polonia. 12. vol. 2. 1737. L. 3 : ---
—— dell'Origine e Progreſſo della Falſa Religione Proteſtante. 12. 1738. L. --- : 15
Le Favole d'Eſopo Volgarizzate in Rime Anacreontiche Toſcane da Angiol Maria Ricci, col teſto Greco, e Latino. 12. 1737. L. 2 : ---
L'Eneide di Virgilio del Comendatore Annibal Caro. 12. fig. 1741. L. 2 : 10
Meditazioni ſopra i Vangeli dell'Anno del P. Medaille, della Comp. di G. 12. 1739. L. 1 : 10
Elementi della Rettorica dell'Abate Giacomo Giacometti. 12. 1740. L. --- : 15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005665604

Digitized by Google